


DIATRIBA
DE
CEPOTAPHIIS

Scripsit

R. M. VAN GOENS. D. F.

Trajectinus.



TRAIECTI ad RHENVM.

Apud ABRAH. A PADDENBVRG. Bibliopol.

MDCCLXIII.

SALLVSTIVS:

Omnes homines, qui se student præstare ceteris animalibus, summa ope niti decet, ne vitam silentio transigant, veluti pecora, quæ natura prona atque ventri obedientia finxit.

VIRO
AMPLISSIMO GRAVISSIMO
DANIELI FRANCISCO
VAN GOENS

A. L. M. PH. D. I. V. D. CVRIÆ. SVPREMÆ. PROVINCIALIS. QVÆ. TRAIECTI. EST. SENATORI. INTEGERRIMO. PARENTI. OPTIMO. INDVLGENTISSIMO. OMNI. OFFICIORVM. ET. CVLTVS. GENERE. VENERANDO.



In insigni illo antiquitatis rituumque vetustorum Oceano, uti alii aliis præstantiores esse deprehenduntur, ita investigatione dignissimi illi sunt censendi, qui cum ipsi omnino laudabiles essent, sequenti tamen tempore malo exemplo in desuetudinem abierunt, substituto in eorum locum alio, longe interdum deteriore, consuetudinum genere:

In hunc censum referri suo jure de-

bet ſepultura cadaverum in Templis, ædibusque divino cultui ſacratis: quæ a Chriſtianis potiſſimum introducta, nunc per univerſam fere Europam propagata uſuque recepta eſt.

Illa licet probroſa, licet maxime moleſta, licet politiorum gentium moribus ſit indigniſſima *, hodie fere honeſta & decora habetur: imo vix quemquam de ea querentem audias: & ſane

---- mala difficile eſt evellere, quando
Cœperunt ſpeciem jam retinere boni:

Præclare contra Græci pariter ac Romani non in urbibus, nedum in Templis, mortuorum corpora humi condebant: ſed paſſim in viis publicis monumenta ſibi exſtruebant, ubi liberior aër moleſtos noxiosque vapores facilius diſſolvere & diſſipare poterat, quam

* Eleganter hoc adſtruxit Ampl. *Perrenot* diſſ. *de Sepultura in urbe & Templis prohibenda:*

quam ſi intra anguſtos urbium limites coärctarentur, aut contractis Sacrarum ædium clauſtris includerentur:

Imo non defuerunt etiam, qui ſpreta communi illa viarum celebritate, villas ſuas prædiaque ſuburbana, delectationis commodique uſibus deſtinata, in amœnos cadaverum receſſus & mortuorum κοιμητηρια mutare inſtituerent:

O conſuetudinem vere laudabilem! O morem communi Chriſtianorum imitatione digniſſimum! Utinam his etiam temporibus præclara illa ſepulturæ ratio uſu reciperetur! quam conveniens ſacro divini Servatoris ſepulcro locus! quam pulcre inſigne ejus exemplum imitarentur purioris doctrinæ adſeclæ! quanto ſæpe cum fructu continua mortis meditatio, inter medias villæ delicias, inter ſummam virentis ſoli amœnitatem, dulci utile quaſi miſceret! Sed

Nobis non licet eſſe tam beatis:

Interim oppido digna diſquiſitioni materia videbatur præſtantiſſimum illum CEPOTAPHIORVM ſtruendorum morem accuratius cognoſcere: digna, cui feriarum tempus impenderem, quibus aliquod ſtudiorum ſpecimen TIBI, PATER HONORANDE, exhibere decreveram: hinc illud natum, ut noſti, Opuſculum eſt, quod TIBI nunc ſiſto.

Et cuinam ſane melius, cuinam aptius obſerre illud potuiſſem? quis majore etiam jure ſibi id vindicaret?

Præfigant alii libellis ſuis illuſtria Patronorum nomina, quibus quaſi totidem tutelaribus Diis, totidem ευεργεταις, omnem, ut putant, invidiam operibus ſuis amoliuntur: dignius ſane Paternum nomen eſt: illuſtriores Parentum in fronte tituli: illi unici ευεργεται, illi veri & proprii ſunt tutores, quibus, præter vitam, omnia quæ habes, quæ noſti, unice in acceptis ſunt referenda:

Et profecto est aliquid, pro tot tantisque beneficiis publice illos vivos videntesque colere, publice quantulacunque grati animi documenta exhibere posse:

Accipe, igitur, PATER HONORANDE, hanc, qualiscunque est, opellam meam! Accipe publicam honoris erga TE mei & reverentiæ tesseram! gratumque in eo & sincerum dedicantis animum magis respice, quam ipsius quidem munusculi levitatem & ἀπαξίαν.

Illud si eo nomine exceperis, facile mihi laborem hunc gratulabor: imo si vel hic solus opellæ fructus fuerit, ut inde gratus erga TE animus meus cognoscatur, reliquis facile post habitis, operam meam abunde compensatam arbitrabor:

Demum, quod restat, vitæ spatium, quod spero ut sit longissimum, vive feliciter: exquisitissimis DEI T. O. M. beneficiis largiter fruere:

atque, in communem Curiæ patriæque salutem, & privatum etiam Tuorum commodum, diutissime VALE. Dabam ipsis Augusti Kalendis. A. C. 1763.



LEC-

LECTORI εὐνοῷ S.



Non diu otium Tuum in limine morabor, Lector Benivole! Fruere hac mea lucubratiuncula, si eam tanti duxeris: si operæ pretium credideris, accuratiorem CEPOTAPHIORVM expositionem evolvere: Equidem illam propriis usibus, exercendi ingenioli caussa composui: compositam Cel. WESSELINGIO ostentavi, præcipuo, quod glorior, mei studiorumque meorum auspici & fautori, cujus insignem erga me benivolentiam & præclara etiam in hoc Opusculum merita, satis equidem pro meritis celebrare non possum: ostentavi autem, ut aliquod studiorum specimen, nec inutiliter transacti a me feriarum spatii, haberet: non certe, ut aliquo tempore hominum manibus libellus tereretur: Lectam vir humanissimus suo calculo probavit, & ut in publicum proderem hortatus est: quod equidem recusare nolui, pulcre recordatus, satis esse laudis, præclaris arbitris labores suos non displicuisse: alioquin equidem, probe conscius quam curta mihi supellex esset, mecum habitare maluissem, donec meliora Tuis, Lector, oculis sistere potuissem:

Interim moneo duntaxat verbis *Jo. Saris-*

beriensis [1]: *non quis, sed quid, quave de caussa scribam, diligens Lector attendat, & ubi male dicta invenerit, sincerus judex, & nec invidiæ, neç odii, nec alterius adfectionis motu concussus, testimonium de malo perhibeat, & ubi bene dixerim, ne me cædat:* &c.

Cæterum si qua in his, Lector, male prodita inveneris, ætati id donare ut velis meæ, impensissime rogo: accepisses opusculum jam initio hujus anni MDCCLXIII, ætatis meæ XIV. sed id per varios casus, variaque rerum discrimina, inprimis morbum graviorem, qui me per aliquod menses lectulo adfixum planeque ἀμυσον tenuit, prohibitum fuit:

Porro de rebus quibusdam sigillatim monendus es, quas hic offendes:

Accentus notasque quantitatis Græcis vocibus non adpinxi: non ut aliquid novi proferrem, nam a multis hodie illi spernuntur: sed quia persuasum mihimet habeo, nihil his punctulis usus inesse, contra illis, utut recentibus Grammaticorum inventis, Græcas literas magis onerari quam ornari aut illustrari: quod si accuratius quis deductum illud probatumque desideraverit, satis illi facturum hac in re arbitror eleganter

1. In præfat. Lib. VIII. *De Nugis Curialium* p. m. 525.

gantem doctumque libellum, cujus auctorem ferunt esse virum admodum Reverendum *H. Mally*, qui inscribitur: *a Dissertation against pronouncing the Greek Language according to Accents.* Lond. 1754. 8vo.

Largiorem hic illic scriptorum numerum adductum a me fuisse, ne graveris: brevitati, quam Legentibus in primis gratam esse noveram, qua potui, studui: ac proin Lectorem eo malui remittere, præcipue in rebus levioris momenti, & ad scopum nostrum minus facientibus, unde plura hauriri possent, quam aliorum lanam & aurum, graculi more, pannis meis adsuere:

Inscriptiones, ut vocant, & lapidum tituli si qui occurrerent, loca ubi erant editi, diligenter adnotare non gravatus sum; noveram, quanti intersit, accuratam marmoris habere lectionem, quæ nisi ex variis variorum exscriptionibus & observationibus (αυτοψιαν non memoro, quæ omnium est certissima) comparari non potest: interdum meas etiam conjecturas addidi, quibus Græcis præsertim marmoribus lucem hic illic & medelam adferre conatus sum: illas, utut sunt, æqui bonique consule:

Disputationem contra *Hammondum* [1]. justo acerbiorem longioremve esse, ne quera-

1. *Diatr. de Cepot.* Cap. VI. §. 1.

ratur Lector: videbatur mihi & dissertationis fundamentum, saltem vocabuli χηποταφιον dignitas, quod ille a *Palladio*, apud quem solum occurrebat, exsulare jusserat, & sententiæ Viri, alioquin de Literis elegantioribus & S. S. Theologia bene meriti, absurda ratio diligentius rei examen requirere, nec inde reliquis *Hammondi* meritis quidquam detrahitur, quæ & ego magni facio:

In marmore Smyrnensi *Heymanni* pro ΙΣΤΟ ΑΡΧΕΙΟΝΤΟ ΕΝ ΣΜΥΡΝΗ substitui 1. εν (εις enim typothetarum vitio, nescio, quo casu, intrusum, male legitur: confer *Errata ad h. l.* p. 197.) τῳ αρχειῳ τῳ εν Σμυρνῃ· quod licet per se optime dicatur, quia tamen a verborum linearumque forma & ductu longius recedit, malim nunc quidem legere: ταυτης της επιγραφης αποκειται αντιγραφον ες (pro εις) το αρχειον το εν Σμυρνῃ· nec insolens enim Græcis, præcipue recentioris ætatis, cujus hoc marmor est, perversus ejusmodi vocularum εις & εν usus est, cum εις haud raro de permansione in loco, ut hic, & εν de motu in locum sumi soleat: tale hoc *Achmetis Oneirocrit.* Cap. CXXIX. p 93. ed. *Rigaltii*: συνεκαλεσε πολλους εν γαμῳ αυτου· & Cap. VIII. p. 10. εισελθειν εν τῳ παραδεισῳ· pro

εις

1. *Diatr.* Cap. VI. §. VI. p. 167. 168.

εις τον παράδεισον imo ſic etiam *Dion. Halicarn.* l. *Archaeol.* p. 59. & VII. p. 433. conf. *Heupel. ad Euang. Marci* p. 5. Cel. *Alberti Obſ. S.* p. 314. *Palairet in N. T.* p. 38. 58. 232. *Budaeum Comment. Ling. Graecae* p. m. 146. Cl. *Cannegiet. de aet. & ſtilo Aviani* p. 300. ſq. *Schraderum Animadv. ad Muſaeum* p. 267.

Quod in nota ad Marmor Nemauſenſe[1] memoravi *Itinerarium Gallicum*, id ipſum eſſe, quod inſcribitur: *Voyage Literaire des deux Religieux Benedictins de la Congregation de St. Maur.* Pariſ. 1717. 4to.[2] monuit me Cel. WESSELINGIVS, librumque etiam commodavit, quod inſpicere antea neglexeram:

Auctoribus, quos de conditura mortuorum, Aegyptiis & Aethiopibus uſitata, laudavi pag. 41. & 187. addendus omnino eſt Cel. *J. M. Geſnerus de Electro veterum* p. 92. ſqq. Tom. III. *Comment. Societ. Gotting.*

Emendationem, quam in *Artemidoro* tentavi Cap. VI. §. X. p. 188. firmat, non ſolum frequens, quae in MSS. Codd. obſervatur, vocularum προ & προς confuſio: v. Cel. *Jo. Alberti* not. ad *Gloſſarium Graecum N. T.* p. 128. 158. *Miſcell. Critica* Cap. I. p. 228.

1. *Diatr.* Cap. V. §. VI. p. 77.
2. Vide illud Tom. I. p. 300. ubi male etiam *Cuibius* viri nomen verterunt, cum ſit CAIVS VIBIVS LICINIANVS.

p. 228. 254. Sed & ipsius *Artemidori* exemplum, apud quem haud raro προ & προς prave miscentur: sic Lib. II. Cap. LXX. f. pro, διακεχορευμενην ΠΡΟΣ γαμον λαμβανειν, *Trillerus* substituit, διακεχορευμενην ΠΡΟ γαμων, (vel προ γαμου) λαμβανει· quam viri Doctissimi conjecturam firmat inscriptio *Epistolæ* VI. apud *Aristænetum* Lib. I. quæ est: περι της ΠΡΟ ΓΑΜΟΥ φθαρεισης· ne quid alia memorem:

Vitia quod attinet typographica, illis removendis omnem, quam potui, impendi operam: irrepserunt tamen non nulla, quæ diligentiam hac in re nostram effugerunt: & quis omnia perspiciat? non ipse, qui

Centum luminibus cinctum caput, Argus, habebat:

ex his tamen pleraque in fine emendari curavi: reliqua forsan adhuc residua typothetis facile, credo, donabit æquus Lector: errare utique humanum est, & his hominibus in primis familiare:

Legentium commodo ut quo quo modo inservirem, *Indices* subjunxi copiosissimos, tam *Auctorum*, quam *Rerum*, quas hic enarraveram:

Atque hæc fere erant, de quibus monitum Te volui, Lector Benivole! Vale Tu, mihique fave. Scribebam Trajecti, quod ad Rhenum est. A. S. MDCCLXIII.

Ju-

Juveni Eruditiſſimo

R. M. VAN GOENS

Diatribam de Cepotaphiis

edenti:

Nulla meo mundus, reſpondi ſæpe roganti,
Orta ex ingenio carmina nulla leget:
Quænam igitur ſubito fecit te cauſſa poëtam?
Hæc qui forte vides carmina, Lector, ais?
Arte ſilente mea, facit admiratio verſum:
Ingenio ille vir eſt, qui tenus ore puer:
Hactenus intactum a doctis jam ſuſcipit ille,
Et tria vix numerans luſtra peregit, opus:
Omnia de CEPOTAPHIIS lectoribus obfert,
Quæque dabat Latium, Græcia quæque dabat:
Græcia nec Latium ſatis huic ſunt: addidit illis,
Hic præbere Sacri quæ potuere libri.
Per libet hos mecum, Lector, ſpatiarier HORTOS?
Quæ placeant, cernes, ſenſibus atque animo.
Cur demum veteres, oritur num cura rogandi?
Cur habuere hortis juncta ſepulcra ſuis?
Quid veteres hortis adjuncta parare ſepulcra
Moverit, in libro GOENSIVS hocce docet:
Mos utinam nobis laudabilis ille maneret!
Templa cadaveribus neu maculata forent!

Ta:

Talia Christiadum gens, dilectissima cœlo,
Busta inter posset volvere corde pio:
" Hortus erat, primum quo mors sævissima mundum"
" Invasit totum, crimine, Adame, Tuo:"
" Hortus erat, primum quo mors sævissima mortem"
" Oppetiitque suam, robore, CHRISTE, tuo:"
Possemus, mortem meditando, vincere mortem:
Prataque defunctos surgere posse docent:
Sed quid ego hæc memoro, vanas spargenda per auras?
Convenit & nobis illa querela minus:
Sed mihi quæ pro TE dicuntur vota, sodalis,
Illa DEVM, ne sint irrita vota, precor:
Perge, decus juvenum, mentem artibus exornare!
Præcipue CHRISTO pectora trade TVA!
Cor virtute TVVM niteat, ceu floribus hortus!
Sic poterisque bonis sicque placere DEO!
Denique, cum felix longum transegeris ævum,
TEque, jubente DEO, tristia fata vocent:
Mox Paradisiacos divinus spiritus hortos
Intrabit, CHRISTO junctus adusque suo:
Cumque erit ille dies, mortem quo corpora vincent,
Totus in æternum gaudia lætus ages.

Ex animo ita vovet

ISBRANDVS VAN HAMELSVELD
S. S. Th. S.

AD

A D

Juvenem Doctiſſimum
R. M. VAN GOENS
Diatribam de Cepotaphiis
evulgantem:

Otia divini renuunt mihi juſta labores:
Aſt mea nunc cogor ſubdere colla jugo,
Subdere colla jugo Phœbi, me GOENSIVS ipſe
Cogit, & officium, quod ſibi poſcit amor:
Quindenos noſter dum vix abſolverat annos,
Exhibet ingenii jam documenta ſui:
Non hic invenies, Lector, quæ ſæpe retracta,
Quæ toties Docti commonuere Viri:
At quæ vexarunt, tot ſeclis condita, Doctos,
Protrahit, & cœca nocte latere negat:
Multa docet, Grajo rituque recepta Latino:
Jungere dum κηποις *triſtia BVSTA ſolent:*
Magna fovet juvenis: quid non præſtabit adultus?
Ingenium GOENSI tale peregit opus:
Perge, decus juvenum, creſcat ſapientia TEcum,
Pectora ſupremo ſintque dicata DEO:
Hoc opus! ille labor! concedat NVMEN Olympi
Viſere poſt mortem regna beata poli.

JO. HENR. DE RVITER
S. S. Th. S.

ARGVMENTA CAPITVM.

TA-

TAPHIORVM genus: locum solis arboribus consitum etiam hortum *dici posse, contra cel.* Vitringæ *&* Zornii *opinionem probatur: loca* Jesaiæ *illustrantur.* III. *Sepultura sub arboribus apud Hebræos recepta.* IIII. *& apud Græcos. V. etiam apud Romanos.* VI. *Caussæ hujus ritus:* p. 55.

Cap. V.

I. *Alterum CEPOTAPHIORVM genus explicatur:* II. *Mos flores & roseta circum sepulcra plantandi apud Hebræos non obtinuit:* III. *Sed apud Græcos* IIII. *& Romanos:* V. *Hebræi an floribus sepulcra sparserint, disquiritur:* VI. *Ritus* φυλλοβολιας *&* ανθοβολιας *apud Græcos receptus:* VII. *etiam apud Romanos: notantur Paschalius & Ehnenborstius: explicantur Plutarchus, Livius, & Dionys. Halicarnassensis;* VIII. στεφανοβολια, *sive coronarum sparsio, in sepulcris a gentibus observata:* VIIII. *dein a quibusdam etiam Christianis usu servata, ab aliis damnata:* X. *Media, quibus usi homines fuere, ut hac coronatione post mortem honorarentur: ac primum de* coronariis, *seu coronarum institoribus &* στεφανοπλοκοις: XI. *porro servorum explicatur ratio, qui sepulcris adponebantur, ut ea stato tempore floribus ornarent, eorumque tabernæ & ædiculæ: quæritur, an illi in ipsis etiam sepulcris habitaverint?* XII. *mos pecuniam legandi, ex cujus reditu flores tumulis injicerentur.* XIII. *dein* horti *etiam eadem de caussa sepulcris adjiciebantur:* XIIII. *tandem flores etiam cippis insculpebant pauperiores, vel viatores de injiciendo flore in titulis monebant:* XV. *Caussæ, quibus impulsi fuerint homines, ut tantopere hanc florum coronarumque injectionem expeterent:* p. 68.

Cap. VI.

I. *Tertium CEPOTAPHIORVM genus: definitio* horti *proprie ſic dicti, ejusque partes variæ: oſtenditur ſepulcrum Jannes & Jambres in* horto, *ἰδίως ſumto, poſitum fuiſſe: locus Palladii exbibetur: vocis κηποταφιῳ vera lectio contra Hammondum adſeritur:* II. *Sepulcra in* hortis, *proprie ſumtis apud Ægyptios: narratio Palladiana examinatur:* III. *Etiam apud Hebræos: ſepultura intra urbem honoris indicium: ſepulcrum Chriſti Domini exponitur:* IIII. *Cepotaphia apud Græcos recepta:* V. *& apud Romanos.* VI. *Etiam a Chriſtianis uſu ſervata: Inſcriptio Græca inſignis exhibetur:* quieſcere *&* dormire *de* morte: *Nonnus defenditur contra Heinſii cenſuram. Duo inſignia marmora emendantur:* VII. *Singulæ Cepotaphii partes examinantur: ac primum de arboribus, floribus & aqua diſputatur:* VIII. *Tum de maceria & ſepto copioſius diſſeritur: eorum variæ appellationes explicantur: materia etiam, ex qua ſtruebantur, enarratur.* VIIII *Cauſſæ, cur in* hortis *ſepulcra fuerint poſita, conſiderantur:* X. *Diſſertationis epilogus & concluſio* p. 127.



DIA-

DIATRIBA
DE
CEPOTAPHIIS.

CAP. I.

Vox κηπόταφιον *explicatur: varii* κῆποι. *raritas vocis apud Græcos; frequentior usus in Latinis marmoribus: Conspectus marmorum, in quibus vox* Cepotaphium *occurrit, exhibetur. Distinctionis caussa pauca de* cenotaphiis, cænotaphiis *&* cœnotaphiis *monentur.*

I. Uti non minima scientiarum pars est, propria rerum nomina probe tenere, maxime in studio antiquitatis, unde complures eruditi viri sæpe id in primis operam dederunt, ut locutiones ejusmodi investigarent, quas peculiari usui destinatas antiqui habuerant, ita dolendum vehementer est, vel sic tamen haud raro voces occurrere, quarum memoria defectu librorum monumentorumve veterum pæne oblivioni cesserit, licet designati illis olim fuerint mores ritusque singulares, & illi memorabiles quidem, sed non satis obvii aut celebres: ut adeo queri cum *M. Catone* liceat, quantumvis alio sensu, *jam pridem* inquiente, *vera nostrum vocabula amisimus:* apud *Sallust.* B. C. 52. possem hic plurima exempla cumulare, caussam hujus querelæ probatione actura: Sed sufficit in præsen-

tem rem notio vocis CEPOTAPHIVM, quæ tanti eſt pretii, ut, ſola ſi foret ex auctorum de ipſa re teſtimoniis ſuperſtes, ſatis de ritu antiquorum peculiari certiores nos faceret, uti mox luculentius adparebit; vel ſic tamen neglecta, paucisque eruditorum fuit cognita, nonnullis errandi anſam præbuit: ipſe etiam ritus, qui vocabulo CEPOTAPHII indicatur, licet multis de cauſſis memorabilis ſit, ut qui uſui hodie ubivis fere recepto recta opponatur, paucis tamen explicationi, nemini meditatæ tractationi materiam præſtitit, quæ quidem ignorantia major adhuc exſtitiſſet & vulgarior, niſi ſepulcrum Σωτῆρος Θεανθρώπου attentiores quosdam de inveſtigatione ejus conſuetudinis monuiſſet: Quæ cum ita ſint, non inutilis forte labor judicabitur, telam hanc nemini adhuc pertextam abſolvere, magisque curatam hujusce ritus explicationem dare: equidem opuſculum eo libentius adgreſſus ſum, quoties recordabar, multa hinc inde ex *ſtudio humanitatis* (ſic eruditionis disciplinam proprie dici *A. Gellius* docet XIII. N. A. 16.) hisce admiſceri poſſe & huc etiam ſpectare lectu ſcituque digna illis habenda, quibus priſci mores curæ ſunt, quique exprobrationem hanc evitare ſtudent: *ſemper eſſe pueros, qui ignorent, quid ab aliis ante ſua tempora geſtum fuerit.*

II. Prius vero, quam ad ipſum veniamus ritum, notionem vocis CEPOTAPHII contemplemur, neceſſe eſt: quod & res ipſa ſuadet & raritas hujus vocis in primis jubet:

ΚΗΠΟΤΑΦΙΟΝ, quod Græce ſcientibus liquet, diſſolute indicat ταφον εν κηπῳ, *ſepulcrum hortenſe, quod in horto villaque ſtruitur:* ταφος a θαπτω *ſepulcrum* notat; vide *Nicolaum* Lib. I. *de Sepulcris Hebræorum* Cap. II. §. VI. p. 16. ſq. κηπος *hortum* indicat,

dicat, seu proprie τοπον περιπνεομενον, a καφω: secundum *Schol.* ad *Homeri* Il. E. pag. 112. 38. ed. Basil. 1551. Fol. quæ quidem uberiore explicatione vix indigent: si copiose agere vellem, plura pluraque de variis κηποις, variisque etiam vocis κηπου notionibus possem adferre, quæ nunc in compendium duntaxat missa Lectorum oculis subjiciam: Sic occurrunt κηποι Babyloniæ κρεμαστοι, seu *pensiles*, de quibus *Diodorus*, in sua *Bibliotheca*; *Eustathius* ad *Dionys. Perieg.* vs. 1010. p. m. 127. ed. *Steph.* alii plures: —— tum *horti Hesperidum* decantatissimi: v. *Spanhem. ad Callim. H. in Cerer.* vs. 11. p. 755. ed. nov. & quos indicat *J. Chr. Wolfius* ad *Liban. Centur. Epp.* Ep. XXX. p. 69. sq. —— porro κηπος *Alcinoi* celeberrimus, quem ορχατον *Homerus* vocat *Ulyss.* VII. 112. conf. Eminentissimum Cardinalem *Ang. Mar. Quirinum* in *Primord. Corcyræ* Cap. VI. p. 63. ed. Brix. quemque in Numis quoque Corcyræorum signatum censent. v. *Beger. Thes. Brandeb.* Tom. I. p. 455. sq. *Justinus* M. descriptionem horti hujus Homericam, cum horto Edenis apud Mosen confert, ex hac illam expressam censens in *Cohortat. ad Græcos* § XXIX. p. m. 106. sq. ed. Oxon. alia dabit laudatus *J. Chr. Wolfius* loco modo adducto: —— præterea varii Philosophorum κηποι memorantur: Sic *Aristotelis* Schola erat κηπος περιπατος teste *Hesychio Illustri* principio libelli *de vitis Sophistarum:* omnium celeberrimum fuit acroaterium *Epicuri*, quod HORTUM VOLUPTATIS adpellabat: v. *Meursii Athenas Atticas* Lib. III. Cap. X. *Ebermayer. in Capp. Deor. & V. V. Illustr.* Cap. VI. n. CCCLVIIII. p. 172. hinc οἱ εκ τȣ κηπου de *Epicureis* apud *Apollon. Tyaneum* Ep. V. quomodo οἱ απο στοας *Stoici* dicuntur, monente *Oleario* ad *Philostr.* Opp. p. 386. junge *D.*

 Laert.

Laërt. Lib. x. Sect. 17. —— in genere *Strabo* κηπους φιλοσοφων memorat lib. ix. p. 608. ed. nov. ubi v. *Casaub.* de *Polemone* paria fere colligas ex *Diog. Laërt.* Lib. iv. Sect. 19. de *Theophrasto* ex eodem Lib. v. Sect. 52. —— porro animal quoddam eleganti specie, κηπον dictum, memorat *Agatharcides* de *Mari Rubro* p. 51. Tom. I. *Geogr. Min. Hudsoni:* confer summum WESSELINGIUM ad *Diodorum* Tom. I. p. 200. sq. idem forsan erit κηβος (sic scribitur) apud *Damascium* in *Isidoro*, quod *simiæ genus* interpretatur *Du Cangius* in *Adpend. Glossar. Med. Græcit.* p. 101. —— dein κηπος tonsuræ genus est, quod σκαφιῳ opponitur: v. *Schol. ad Aristoph. Aves.* p. 579. E. ed. *Porti:* ejus verba exscripsit *Suidas* v. junge *Hesychium* v. quem emendat Cel. *Hemsterhus. ad Polluc.* Tom. II. p. 984. conf. *Junium de Coma* Cap. vi. *Nicol.* de *luctu Graec.* Cap. x. p. 132. sq. convenit huic κηπιον; de quo *Schol.* ad *Thucyd.* II. 62. p. 119. ed. Oxon. αλλοι δε το κηπιον ειδος κουρας φασιν ὁτως ονομαζομενης. —— præterea tria loca nomen ex fertilitate, ut credibile est, & amœnitate soli sunt adepta: κηποι *Milesiorum colonia.* v. *Harpocration.* v. ibique *Vales. Suidam* v. & *fragm. peripli* apud *Hudsonum* Tom. I. *Geogr. min.* p. 2. conf. rursus WESSELING. ad *Diod.* Tom. II p. 422. κηποι Νυσιας apud eundem *Diod.* Tom. I. p. 237. 8. & κηποι *Sintorum urbs:* cujus meminit *Scylax* p. 31. & *fragm. peripli Pontici* p. 2. Tom. I. *Geogr. min.* —— multa quoque disputari possent de κηποις Αδωνιοις quod festi genus fuit: v. *Zornii* not. ad *Hecatæum Abderit.* p. 166. sq. *Jo. Simonis Dissert. de Thammuz Ezech.* viii. 14. §. vi. p. 176. sq. (Hal. 1762. 4to.) *Pantinum* ad *M. Apostolii Parœm* p. 286. *Bergler. ad Alciphron.* I. Ep. xxxvii. p. 165. *Olear.* ad *Philostr.* vii. *Apoll. Tyan.*

Tyan. 32. p. 311. ne quid de *Meurſio*, *Caſtellano* aliisque dicam, qui ex inſtituto *feſta Græcorum* explicuerunt: —— tum de μεσοκηπιοις, *hortis qui in mediis ædibus ſtruebantur:* v. *du Cangii Gloſſar. Græc.* v. —— & tandem de *Venere hortenſi*, cujus apud *Pauſaniam* exſtat mentio: conf. *Patini Comment. ad Monum. Marcellinæ* p. m. 1118. Tom. II. *Supplem. Poleni.* & *Gyraldum* Tom. I. Opp. p. 396. Romæ quoque *horti* in tutela *Veneris* eſſe credebantur: v. *Thomaſin. de Donar.* Cap. VIII. p. 794. B. & Cap. XXIX. p. 859. Tom. XII. *Theſ. Antiq. Rom.* —— denique disquiri meretur, Sacra a gentibus in *hortis* fuerint inſtituta, nec ne? de qua re lege *P. Zornium* l. c. p. 164. ſqq. & quæ infra diſputabimus, ubi ad primum Cepotaphiorum genus deventum fuerit. —— plura his de rebus monere alienum ab inſtituti noſtri ratione judicavi, capita duntaxat delibare volui, auctoresque, unde locupletior earum notitia peti poſſet, ſubjicere, ut habeat Lector brevi in tabella depictum, quidquid ejus generis hoc loco deſiderare a nobis potuiſſet: nunc redeo in viam:

Vox κηποταφιον frequentius occurrit diſſoluta, quam quidem compoſita, uti in his rebus fere fit: ſic ταφοι, qui erant εν κηπῳ, memorantur II. *Regg.* XXI. 18. & 26. ſic μνημειον εν κηπῳ, quod eodem redit, de ſepulcro τȣ σωτηρος in *Euang. D. Joh.* XIX. 41. τυμβον εν κηπῳ *Nonnus* dixit in *Paraphr.* vs. 228.

—— —— —— —— ην δ᾽ ενι γειτονι κηπῳ
Τυμβος, αδωμητοιο βαθυνομενης υπο πετρης.

& ſic alibi ſæpius: compoſitum autem κηποταφιον primus & ſolus *Palladius* uſurpavit in *Hiſtoria Lauſiaca* Cap. XXII. p. 44. ed. *Meurſ.* quem laudat

etiam

etiam *Du Cangius* in *Gloſſar. Med. Græcit.* p. 644. integrum locum exhibebo, ubi de tertio CEPOTAPHIORVM genere agetur: Latini, Græcum vocabulum ſuis literis exprimentes, CEPOTAPHIUM dixerunt: ita enim ſeriore tempore Romanis mos erat, qui vocem adſumere Græcam nolebant, quam Latina notione parallela efferre non poterant, niſi eandem ſuis etiam literis exararent: pariter ac Græci recentiores ad nauſeam usque fecerunt; quod ex *Gloſſis Nomicis* aliisque vocum recentioris Græciæ collectionibus videre eſt: eodem ſæpe malo etiam hodierni Librorum interpretes laborant, qui ſi quando Græcam vocem non ſatis intelligant, Latinis modo literis eam in ſua verſione pingunt: exemplum eſt in *Athenag. Legat. pro Chriſt.* p. 59. ed. *De Chair:* ubi κόρην non *Coren*, quaſi de Proſerpina ſermo eſſet, ſed *puellam* verti debere, monet *Triller.* IV. *Obſerv. Crit.* VI. p. 329. alia complura dabunt *Steph. Stephanius* not. ad *Saxon. Grammat.* p. 38. & *J. A Fabricius* ὁ πολυμαθέστατος *Biblioth. Lat.* Tom. II. p. 346. ſed ἐπέχω. Græcæ vocis ſic Latinitate donatæ meminerunt *du Cange* in *Gloſſario Mediæ & infimæ Latinitatis* v. (Tom. II. ed. noviſſ. Pariſ. 1733. Fol. in prima enim *Lut. Pariſ.* 1678. Tom. I. fruſtra vocem quæras) & Cel. *Gesnerus* in *Theſauro Latinitatis* Tom. I. v. CEPOTAPHIVM, ſed illi unum duntaxat *Fabretti* lapidem adferunt, adeoque memorari vix merentur. Uti autem Latinæ vocis in ſcriptis auctorum libris memoria prorſus nulla exſtat, ita a literatis lapidibus mire hic juvamur, in quibus aliquoties CEPOTAPHIVM legitur: cum itaque in his præcipuus notionis fundus ſedeat, viſum fuit omnes uno faſciculo complecti, quotquot CEPOTAPHIORVM memoriam nobis ſervarunt, ut oculis luſtrari ſimul ab

uno

uno quoque possent; verebar ne, si id negligerem, molestia legenti nasceretur, tum quia per varios hic illic libros sparsi leguntur, tum etiam, quod nec illi ipsi libri cuicunque semper ad manus sint: habe igitur L. B. nec adjectas variorum animadversiones gravare.

CONSPECTVS MARMORVM,

In quibus vox

CEPOTAPHIVM

occurrit.

I.

Ex *Fabretto* Cap. II. *Inscr. Domest.* p. 80. n. IX.

D. M.
PEDVCAEA. IRENE. FECIT
SE. VIVA. CEPOTAFI
VM. QVOT. CONTINET
IN. F. P. XX.
IN. AG. P. XX.

Notæ.

CEPOTAFIVM.] vocem hanc peregrinam Cepotaphii Latinis scriptoribus incognitam a duabus Græcis κηπος *hortus* & ταφος *sepulcrum* derivatam agnoscimus. & proinde apud mediæ græcitatis

auctores usurpatam ostendit laboriosissimus æque ac doctissimus Carolus du Fresne in glossario, pro *sepulcro* scilicet in horto, sive subdiali, quale hic circumscribit lapis vineæ Carpineæ.

L. STERTINIAE
MAGNVS
ARIAM. MACERIA
CLVSAM. SIBI. ET
SVIS. POSTERISQUE
EORVM

& eleganter *hortulum religiosum* vocat inscriptio num. 2. p. DCCCIX. apud Gruterum: sive etiam *memoriolam cum ortulo sumjacente*, ut vocari vidimus in altera hujus Cap. inscriptione num. 155.] RAPH. FABRETTVS. not. ad Cap. II. *Inscr.* p. 114. seq.

CEPOTAFIVM] male hic scribitur per F cum PH postulet derivatio Græca: Sic tamen & infra occurret n. IIII. V. VI. VIIII. sic & CENOTAFIVM apud *Murator.* p. MMXLVIII. 3. alia dabit *G. L. Oderico* in *Dissertaz. Sopra un antica Iscrizione* p. 25. seq. Romæ 1756. 4to.] R. M. V. G.

II.

Ex eodem *Fabretto Inscr.* p. 115. n. 293.

- - - - - CARPVS - - - - -
---- RELIVS ----- AELIVS. DIGNVS
PACCIVS. CHARITO. ET. SOCII
HOC. CEPOTAPHIUM. MVRO. CINCTVM
CVM. SVO. IVRE. OMNI. EX. AVCTORITATE
ET. IVDICIO. PONTIFICVM. POSSEDERVNT.

III.

III.

Ex eodem p. 115. n. 294.

IN. HOC. CEPOTAPHIO
LO. CVM. SVPERFICIO
GERVLONIA. MARIA
ET AVR. SENTIA. ET
FILIORVM. LIB. LIB.
QVE. POSTERISQVE
EORVM ϕ

IIII.

Ex *Vignolio Inscr. Select.* p. 269. repetiit *Murator.* Tom. III. *Nov. Thes. Inscr.* p. MDCCLXVII.

M. VLPIVS. AMIN
NAS. CEPOTAFIVM *Sic*
SIBI. DONATVM. MV
RO. CINCTVM. FECIT
SIBI. ET. LIBERTIS. LI
BERTABVSQVE AE *Sic*
ORVM

Cepotaphivm] id est sepulcrum in horto] L. A. Mvratorivs.

Aeorvm.] pro eorvm. uti sæpe, & vicissim e. pro ae. conf. Doctiss. *van Lom* ad *vet. chirogr. thes.*

Murat. §. IV. p. 13. Cl. *Dausquejum* in *Orthograph.* Tom. II. p. 12. *Fabrett.* Cap. V. *Inscr. Domest.* p. 384. *Schurzfleischii Acta Literaria* p. 78. adde, præter alios, binos lapides, alterum ap. *Thomaso Porcacchi Funerali antichi di diversi popoli* &c. Cap. III. pag. 22. (Venet. 1573. 4to.) PIETATEM. PRAESTANTIAMQVAE: alterum Prænestinum apud *Falconerium Inscript. Athlet.* N. V. p. 121. ed. Rom. ubi prorsus adposite: POSTERISQVE. OMNIVM. AEORVM]. R. M. V. S.

V.

Ex. eod. *Vignolio Inscr. Selecl.* p. 330. est & in *Museo Kircheriano Phil. Bonanni*; atque inde apud *A. M. Lupi* Diss. ad *Epit. S. Severæ Mart.* §. IV. p. 147. n. 2. 3. (Panormi 1734. Fol.) tum ap. *Murator.* Tom. IIII. p. MDCCCLIV. 4. tandem recoxit *Jacutius* in *Specimine Antiquit. Christian. ad titulum Bonusæ & Mennæ* Exercit. II. p. 46. (Romæ 1758. 4to.) conf. quoque Cel. *D'Orvillium* in *Miscell. Observ. Nov.* vol. III. p. 142. sq.

Q. MEDICVS. AVG. LIB
A. SOLO. SIBI. FECIT
HOC. CEPOTAFIV *Sic* QVI
NTA VITALIS. FILIA. MEA
POSSIDEBET. SINE CONTRO
VERSIA

CEPOTAFIV.] hoc est *Cenotaphium*, quod hic sumitur de sepulcro, non vero de monumento honorario, ut alibi. Hæc autem inscripto interiorem cet.] Io. VIGNOLIVS.

Edi-

Editor eruditiſſimus (Vignolius) *cepotaphium* in *cenotaphium* convertit: Sed ſane poſſeſſio cenotaphii non magna res foret, nec de qua controverſia filiæ moveretur. imo κηποτάφιον *ſepulcrum hortenſe. hortus* intelligitur. hæc vox (*hanc vocem* ſcribere voluit Vir Cel.) ita recte accipit bis ter in ſylloge ſua Doctiſſimus Muratorius. vid. p. DCCXCIV. I. I. PH. D'ORVILLIVS.

Q. MEDICVS. AVG. LIB.] Cujus Auguſti libertus fuerit Q. hic Medicus libens diſcam. prænomen *Quinti* indicium nobis videtur facere, eum Q. Trajani Decii libertum fuiſſe: neque enim crediderim libertatem fuiſſe conſecutum a Q. Herennio Etruſco Meſio Decio, Decii filio: Hic namque (ut Angelonus obſervavit in *Hiſt. Auguſta*) non AVGVSTVS in numis & lapidibus, ſed tantum NOB*ilis* CAES*ar* nuncupatur) A. M. LVPI.

Hoc. CEPOTAFIVM) ſcilicet hoc ſepulcrum hortenſe, ſepulcrum in horto; quale fuit ſepulcrum, in quo Chriſtus Dominus tumulatus eſt: teſte namque Joanne Euangeliſta, XIX. 41. 42. Ἦν δὲ ἐν τῷ τόπῳ, ὅπου ἐςαυρώθη (ὁ ΙΗΣΟΥΣ) κῆπος, καὶ ἐν τῷ κήπῳ μνημεῖον καινὸν . . . . ἐκεῖ οὖν ἔθηκαν τὸν Ἰησοῦν. *erat autem* &c. Monumentum autem illud ſeu μνημεῖον. *Matthæus* appellavit τάφον. Ησφαλίσαντο τὸν τάφον. *muniverunt ſepulcrum.* deducitur itaque vox κηποταφιον *Cepotaphium* a κηπος *hortus* ac ταφος *ſepulcrum.* vide *Fabrett. Inſcr.* Cap. II. pag. 114.) Idem.

CEPOTAPHIVM.) eſt *ſepulcrum in horto.* Uſus ea voce eſt Palladius Lauſiaca cap. 20. eam P. Bonanni ponit in Muſeo Kircheriano.) L. A. MVRATORIVS.

Sciendum eſt duplicem fuiſſe hunc lapidem, utrimque ferali titulo inſignem, altero Chriſtiani hominis, altero Ethnici, quod nemini mirum videbitur, morem Chriſtianorum conſideranti, qui

ſæpe

sæpe gentilium lapides ſepulcrales inverſos ſuis loculis adplicabant, quod equidem ex inopia factum cenſeam: docent hoc paſſim DD. VV. etiam ad hunc lapidem *Vignolius*, *Muratorius* cet. conf. *Fabrett.* Cap. IV. *Inſcr.* p. 307. & *Boldettum* Lib. II. *Oſſervaz. Sopra i cimiteri di Santi Martiri* Cap. IX. p. 438. ſqq. nos alteram duntaxat inſcriptionem ex marmore excerptam hic dedimus: Chriſtiana enim nihil huc pertinebat.) R. M. V. G.

CEPOTAFIV] non infrequens omiſſio literæ M finalis in lapp. v. exempla apud *A. M. Lupi ad Epit. Severæ* p. III. ſq. not. 1. & p. 174. obiter: junge *Arntzen: Specim. Obſerv.* Cap. XIII. p. 100. *Salvin.* not. ad *Gorii Inſcr. Etrur.* Tom. I. p. 445.] Idem.

A. SOLO.] eadem formula eſt apud *A. F. Gorium* Tom. I. *Inſcr. Etrur.* p. 195. . . . . MONIMENTVM . . . . QVOD . VIVVS. A. SOLO. ET. IVNIA. EPICTESIS. FECERVNT. & *Gudium* p. CCCXXI. 5. MEMORIAM. A. SOLO. MVRO. CINXIT. convenire cum his cenſeam formulas illas *a fundamento facere*, *ab inchoato curare*, *exſtruere* & ſimil. de quibus *Reineſ.* claſſ. II. n. XXXII. p. 275. claſſ. XII. n. XII. p. 655. & n. XXXIV. p. 662. cet. conf. *F. C. Conradi Parerga* Obſerv. IV. *de formula ſub aſcia dedicare* §. III. p. 75. (Helmſt. 1735. 8vo.) Idem.

V I.

Ex *Donio Inſcr. Antiq.* Claſſ. II. n. 178. p. 106. ed. *Gorii.* repetiit *Murator.* Tom. II. *Theſ. Nov. Inſcr.* p. CMXCIV. 3.

M.

M. AVRELIVS. AVGG. LIB. CARPOPHORVS. FECIT
SIBI. ET. AVRELIAE. EPICTESI. CONIVGI. SVAE. ET
FILIS. ET. AVRELIO. PAVLINO. FRATRI. SVO. ET
FILIS. EIVS. ET. SELEVCO. ALVMNO. LIBERTISQVE
ET. POSTERIS. EORVM. ITEM. LIBERT. LIBERTA
BVSQVE. SVIS. POSTERISQVE. EORVM
HOC. MVNIMENTVM. SIVE. CEPOTAFIVM
DE. NOMINE. MEO. ALIENARI. VETO.

CEPOTAFIVM.] eodem modo quadratarii errato ſcriptum in ſepulcrali memoria inter Inſcriptiones ſelectas Vignolii pag. 330. HOC CEPOTAFIV. In pluribus lapidibus F ſculptum pro PH alibi adnotatum eſt. CEPOTAPHIUM. κηποτάφιον eſt ſepulcrum in horro conditum nam κῆπος eſt *hortus* & τάφος *ſepulcrum*. Hujuſce generis ſcilicet cepotaphium fuit SEPULCRVM Domini JESU CHRISTI ut conſtat ex verbis Euangelii D. Johannis Cap. XIX. vs. 41. erat autem in loco ubi crucifixus eſt, hortus, & in horto Monumentum novum, in quo non dum quisquam poſitus fuerat. Græcus textus: καὶ ἐν τῷ κήπῳ μνημεῖον καινόν. ſi ſepulcrum in prædio ſecus viam conſtitutum eſſet, interdum vel hortus adſignabatur, ut monumento cederent roſaria ad roſas quotannis ſpargendas ſuper ſepulcrum, vel ſeſtertia teſtamento legabantur, ut ex reditu roſæ quotannis afferrentur ad tumulum, quibus corona retur. vide C. V. Philippum ſenatorem Bonarrotium in Obſervationibus in vaſa vitrea Cœmeteriorum pag. 189. 190.] A. F. GORIVS.

CEPOTAPHIVM eſt ſepulcrum in horto, cujuſmodi non pauca olim fuerunt.] L. A. MVRATORIVS.

VII.

VII.

Ex *Boldetto Osservaz. sopra i cimiteri di SS. Martiri* Lib. II. Cap. IX. pag. 446.

Nel cimitero di Ciriaca

IN HOC CEPOTAPHIOLO
MAVR. STRATONICAE. QVI. FACIT
P. LONG. XXIIII. LAT. P. XIIII.
ET. LIB. LIBERTABVSQVE. POSTERISQ
EORVM

La voce *Cepotaphiolum* diminutivo di *Cepotaphium* viene spiegata dal Fabretti, con l'occasione di un' altra Iscrizione da lui riferita *vocem hanc* (dic egli) *peregrinam Cepotaphii Latinis* &c. e l'istessa ho ritrovata in un frammento di marmo nel cimitero di Calepodio di questo tenore

VIII.

TERENTIA
HON
CEPOTA

BOLDETTVS.

Mn-

VIIII.

Muratorius Nov. Thes. Inscr. Append.
Tom. IV. p. MMLXXXIX. 5.

Romæ

Ex *Marangonio*

D. M.
CL. AELIVS. EPIGON.
VS. ET. SERGIA. SILVINA
EIVS. FECERVNT. SIBI
ET. FILIIS. FILIABVS
QVE. ET. LIBERTIS
LIBERTABVSQVE
EORVM

CEPOTAFIVS. INTVS
Q. CONT. PD. PL. M. CC.

Ex *Marangonio* scribit *Muratorius*: edidit ille *Appendicem ad Acta S. Victorini*, in qua variæ habentur Inscriptiones, Romæ 1740. forsan hinc petita Inscriptio est: librum non vidi.] R. M. V. G.

Q. CONT. PD. PL. M. CC.] quidni indicat *qui* CONT*inet* PED*es* PL*us* M*inus ducentos*? tumque de κηπῳ agrisque adjectis, non de sepulcri mensura & capacitate intelligi spatium definitum debet.] Idem.

X. Ex

X.

Ex *Phil. Buonaroti* in *Osservazioni sopra i vasi antichi di vetro* pag. 190. sq. (Florent. 1716. Fol.) repetiit *Muratorius* Tom. II. pag. DCCXCIV. I.

D. D. M.
M. AVREL. ALEXANDER. PRIMIPIL. EIVE
VIVVS. SIBI. ET. VXORI. SVAE. AVRELIAE
ANTIOCHIANAE. HVNC. CEPOTAPHIVM
SEPARAVIT. DE. DOMV. ET. FECIT. OMNIBVS
SVIS. POSTERISQVE. SVIS. LIBERTIS
LIBERTABVSQUE. POSTERISQVE. EORVM
ET. PRAECEPIT. HEREDIBVS. NE. QVIS
EXTRANEVM. VELLIT. I . . . . NERE. VEL
VENVMDARE. VEL. FIDVCIARE. VEL
DONVM. DARE. VEL. VLLO. MODO. ALI
ENARE. NAM. POST. HAEC. PRAECEPTA
SI. QVIS. AINVENTVS. FVERIT. HOC
FECISSE. INFERAT. SACRO. FISCO.
SESTERTIA. CENTVM. MILLIA. NVMMVM.

Num in vocabulo EIVE secundæ lineæ mendum cubat? ego legerem ET VE id est & *veteranus.*] L. A. MVRATORIVS.

CEPOTAPHIVM.] est *sepulcrum in horto*, qualia non raro Ethnici sibi parabant. Occurrit eadem vox in aliis funebribus inscriptionibus: & præsertim pag. 114. sq. apud Fabrettum: verbum *fiduciare* respondet Italico nostro *impegnare.*] Idem.

HVNC. CEPOTAPHIVM.] male pro *hoc*, uti in superioribus bene: sic tamen & HVNC FVNVS in la-

lapide apud *Murator.* p. MCMXXXIX. 2. & *Boldettum* p. 386. 4. HVNC SEPVLCRVM apud *Reinesium* Class. XX. n. CCCCXL. pag. 999. contra HOC TVMVLVM apud eundem class. XX. n. CXCVII. p. 943.] R. M. V. G. I... NERE.] lego IMPONERE. uti alibi sæpius, licet frequentius sit τo *inferre.*] Idem.

XI.

Videtur quoque vox *Cepotaphii* locum obtinere in marmore, quod olim quidem a *Grutero* editum p. DCLXVIII. 6. nunc vero accuratius exscriptum damus ex *Matthæi Ægyptii* Ep. ad *Goth. Chr. Goetzium* ed. inter ejus *Opuscula* (*Opuscoli volgari del Conte Mattéo Egizio* Neap. 1751. 4to.) pag. 200. n. 5.

IN HOC CEROTAPHIO MACERIA CINCTVM
ANNIAE MAXIMINAE ET ANNIORVM
CELERIONIS MAXIMINI ET CELERINES
FILIORVM EIVS
QVAE EST DOMVS AETERNALIS.

CEROTAPHIO] *Gruterus* habet EPITAPHIO ex *Apiano* qui jam antea lapidem hunc ediderat in *Inscript. Sacrosanctæ vetustatis* pag. CXXVI. 4. non dubitaverim tamen *Matthæi* partes sequi, ut qui doctissimus vir accuratiorque *Apiano*, melius de vera literarum forma judicare potuerit: ac proin CEPOTAPHII hic mentionem observari eo magis crediderim, quod, si *Matthæi* emendationem servaveris, excepto τῷ R, in ejus vero locum τo P *Apiani* in-

 du-

duxeris, integram salvamque vocem CEPOTAPHIVM habiturus sis: nec etiam magni momenti est discrimen inter duas voces, modo *Apianum* initialem literam c omisisse, pro o vero I intrusisse statuamus: interim recepta hac lectione caussa cadit *Jac. Gutherius*, quem hoc ipsum marmor ex *Grutero* adduxisse video, ut probaret EPITAPHIVM etiam de *sepulcro* ipso dici: II. *de Jure Manium* XXVII. p. 1234. Tom. XII. *Thes. Antiq. Rom.*] R. M. V. G.

CEROTAPHIO CINCTVM.] prava hæc est constructio CINCTVM pro CINCTO. novum tamen non videbitur, modo quis levi antiquarum inscriptionum notitia sit imbutus: in his enim frequentissima hæc sunt: sic v. g. apud *Fabrettum Inscr. Domest.* Class. I. pag. 21. DIS. MANES. SACRVM. pro MANIBVS: tritæ quoque hæ sunt locutiones: VIXIT ANNOS, MENSIBVS, DIES, HORIS. aut similia: vide lapidem a *Galeo* editum ad *Anton. Iter Brit.* pag. 71. alia dabit *Hagenbuchius*, vir in hoc genere exercitatissimus, ad *Tessaracostologicon Turicense* pag. 490. sq. & Cl. *van Lom* Diss. ad *vet. chirogr.* pag. 11. 12. spectant & huc, quæ supra monui not. ad *Consp. Marm.* Num. x. p. 16. 17.] Idem.

CELERINES.] *Gruterus* habet CELERINATIS.] Idem.


Barbariem sapit, nec ullus dubito, quin sit Christianorum, propter το *Domus æternalis.*] MATTHÆVS.

Miror sane eruditum virum hæc pronuntiare potuisse, quasi soli Christiani sepulcra sua *domos æternas* & *æternales* appellitaverint, quod tantum abest, ut vel *Mabillonius* propriam hanc solis gentilibus notionem esse urserit, & ante eum *Bosius* not. ad *passion. S. Cæcil.* p. 89. quod tamen æque male: interim *Matthæum* erroris arguere potest solus *Diodori* locus, qui hac in re classicus est, Lib. I. cap. 51. p. 60. Tom. I. *Memphitici*, inquit *homi-*

mines τυς δε των τετελευτηκοτων ταφυς αιδιυς οικυς προσαγορευυσιν, ὡς εν ἁδυ διατελυντων απειρον αιωνα. κ. τ. λ. confer Ampl. *v. Nispen* de *sepulcro violato* p. 24. *Fabrett*. Cap. II. *Inscr. Domest*. p. 112. (ex quo sua hausit *Jacutius Specim. Antiq. Christ*. Exerc. II. p. 38. not.) tum *Boldett*. I. *Osservaz. sopra i cimit*. XXXIV. p. 172. *Schlichter. Dec. Sacr*. Obs. II. p. 22. *Jo. de Vitam Thes. Antiq. Benevent*. Diss. XI. p. 299. 300. *Broukhus*. ad *Tib*. III. Eleg. II. vs. 22. *Dan. Gerdes* apud *Massonum* dans *l'Histoire Critique de la Republique des lettres* T. XV. p. 105. aliosque plures: adde marmor apud *Cotovicum Itin. Hieros. & Syriac*. Lib. I. Cap. II. p. 7. n. 3. conf. p. 8. n. 2. (Antverp. 1619. 4to.) & bina carmina apud *P. Pithœum* in *Epigr. vet*. Lib. III. Cap. IX. p. 117. & p. 118. n. 2.] R. M. V. G.

XII.

Memorare hic quoque debeo cippum, qui habetur apud *Joh. de Vitam Inscr. Benevent*. class. IX. n. 67. p. XLVIII. post. *Thes. Antiq. Benev*. Romæ 1754. Fol. omisissem, nisi clariss. editor in præfixa sigla CEPOTAPHIVM vel CENOTAPHIVM invenisset, uti ex subjecta ejus nota adparet: dimidium autem duntaxat dedi, quia ultima huc non pertinebant.



Quid ſit nota illa in hujus lapidis fronte inſculpta, ignorare me fateor: non enim alibi exemplum occurrit: Nexus videtur duarum literarum C & F, quæ ſiglæ *Caji filium* ſonare ſolent: at quid opus *M. Furio* ut eo loco atque adeo latenter ſe Caji filium proderet, quod poſt ſuum nomen commode ac de more præſtare poterat? an vero CENOTAPHII aut CEPOTAPHII vox ibi expreſſa? certe *Cepotaſium* pro *Cepotaphio* aliquando ſcriptum docent lapides apud *Vignolium* p. 330. & *Donium* Cl. II. n. 178. idque *ſepulcrum* erat in *horto* (male editur *horo*) conditum, a κῆπος *hortus* & τάφος *ſepulcrum*, quale Domini noſtri Jeſu Chriſti fuiſſe recte obſervat cl. *Gorius*: hinc M. Furius ejuſmodi ſepulcrum ab ſe conditum ea nota fortaſſe indicare vo-

voluit. ſed meliores conjecturas aut divinationes exſpectabimus] IO. DE VITA.

Præterea in *Indice Muratorii* Cap. XVI. p. MM CCXIV. hæc lego.
Cepotafius MMLXXIX. 5.] ſed eo loco nullum habetur CEPOTAPHIVM. confudit forſan auctor indicis numerum MMLXXXIX. 5. quod vide ſupra Num. IX.

Hæc de voce *κηποταφιων* dicta ſufficiant, ex quibus ſatis liquet, quam raro hæc vox uſurpata fuerit, cum tamen nulla aptior poſſit excogitari, ſi quis ritum peculiarem ſepeliendorum in hortis cadaverum una voce deſignare velit. interim rarior ille vocabuli uſus *Vignolio* errandi cauſſam præbuit: vide notam ejus ad *Conſpect. Marm.* Num V. p. 10. qui *cepotaphium* & *cenotaphium* unam eandemque rem eſſe cenſebat; ſono vocum *παραλληλω* haud dubie deceptus: nec tamen reliquis Viri Doctiſſimi meritis quidquam inde detrahitur: *ἁμαρτανει γαρ τι και σοφυ σοφωτερος, το γαρ μηδεν ἁμαρτειν οντως ὑπερ ανθρωπον, και μονυ θευ.*

III. Cum autem exemplum *Vignolii* doceat, facillime literarum ſonique convenientia abduci aliquem poſſe, ut has voces inter ſe miſceat, diſtinctionis cauſſa obiter tria vocabula explicabo, quorum admodum levis eſt differentia, ſi ſonum, maxima, ſi ſignificationem reſpicias: CENOTAPHIVM videlicet, CAENOTAPHIVM & COENOTAPHIVM: quæ diverſitas clarius eluceſcet, ſi de ſingularum vocum notione quædam monuerim:

1. CENOTAPHIA, Græcis *κενοταφια*, *ſepulcra* ſunt *inania*, & *imaginaria*, quale *tumulus honorarius* dicitur *Suetonio Claud.* I. §. 7. clariſſime *Florentinus* ICtus: *Monumentum generaliter res eſt memoriæ cauſſa in poſterum prodita, in qua ſi corpus vel reliquiæ in-*

 ſe-

ferantur, fiet sepulcrum, si vero nihil eorum inferatur, erit monumentum memoriæ caussa factum, quod Græci κενοταφιον appellant, id est inane sepulcrum l. 42. π. *de relig. & sumt. fun. imaginaria* autem dicuntur, quia honoris ornatusque duntaxat caussa erigebantur, nec in iis ossa defuncti, in cujus honorem structa erant, conderentur: hinc *Suidas* κενοταφια inquit τινα ησαν ελισσομενα, ως ΤΥΠΟΣ νεκρου, μη εχοντα νεκρον. probabiliter Ampl. *Corn. van Bynkershoeck* τοπον legit Lib. I. *Observ.* Cap. 5. confer cel. *Jo. Alberti*, qui nunc abiit, unde negant redire quemquam, ad *Glossar. N. T.* pag. 161. *Cenotaphia* hæc uti variis fiebant ex caussis, ita vel vivis, vel defunctis erigebantur: sepulcrum enim, quod sibi quis vivus instruebat, ut in eo post mortem conderetur, interdum etiam *Cenotaphium* vocabatur: quantumvis melior sit apellatio *Cænotaphii*, uti ex ejus notione mox declaranda apparebit: & *monumenti virginis*, quomodo in marmoribus eleganter illa adpellantur sepulcra, quæ cadavere ad tempus duntaxat sunt destituta: exempla videbis apud *Fabrettum* Cap. I. *Inscr.* p. 53. *A. M. Lupi* ad *Epitaph. Severæ* §. XVI. p. 159. *Scip. Maffejum*. in *Museo Veronensi* p. CCCXI. 6. & in *Novo Muratorii Thesauro* p. DCCCLI. 8. ac proin sepulcrum *Josephi* senatoris ante sepulturam Christi Domini melius καινοταφιον debuit vocari, aut *monumentum virgo*, quam quidem κενοταφιον. —— Mortuis sæpe ejus modi ταφοι κενοι ab amicis cognatisque struebantur, addito simul altero sepulcro, in quo ossa defuncti & reliquiæ condebantur: tale *Euripidis* cenotaphium *Pausaniæ* memoratur Lib. I. p. 3. conf. *Meurs.* I. *Athen. Att.* 2. & *Brasidæ* apud eundem *Pausaniam*: confer ejusdem *Jo. Meursii Miscell. Lacon.* Lib. IV. Cap. 15. atque hinc adparet ratio, quo-

quomodo uni homini plura exstrui monumenta potuerint: uti de *Scipione* narrat *Livius* XXXVIII. 56. de *Ænea Dionys. Halicarn.* T. I. pag. 43. conf. *F. Luisinum* II. *parerg.* 27. & *Vignol.* Diss. *de Columna Anton. Pii* Cap. IV. p. 66. —— Tandem iis haud raro *Cenotaphia* struebantur, quorum cadavera erant deperdita, qui in mari perierant, cet. alterius exemplum est apud *Homerum* Ulyss. Δ. 584. conf. *Schol.* ad *Lycophr. Alexandr.* vs 365. p. 44. ed. *Potteri* & *Xenoph.* VI. Αναβ. p. 455. ed. *Hutchinsoni*: de altero v. *Euripidis Helenam* vs. 1257. tumque solemnis accedebat divorum manium invocatio: v. *Nicol. de luctu Græc.* Cap. II. hanc peculiari vocabulo ψυχαγωγιαν adpellabant: ψυχη de *manibus* intellecta: alioquin Græci ψυχαγωγια & καταγωγια vocant *animi attractiones*, quæ fiunt rebus lætis & jucundis: unde ψυχαγωγιον locus, qui amœnitate sua prætereuntium oculos allicit: v. Ill. *Cuperum* II. *Observ.* XIV. p. 234. sqq. & ψυχαγωγειν simili notione apud *Xenophont.* III. *Memorab. Socratis* X. p. m. 144. Instituta autem illa invocationis solemnitas est, ut manes defunctorum ad illud Cenotaphium se conferrent, ibique tuta in posterum & tranquilla sede fruerentur. res originem superstitiosæ gentium opinioni debet; credebant hæ, animos insepultorum præcipue qui in mari perierant, per aliquot annorum spatia vagari, nec ante a Charonte transvehi, quam honesta sepultura fuissent honorati: de insepultis in genere v. *Tertull.* de *Anima* p. 354. A. ed. *Rig. La Cerda* ad *Virg.* VI. *Æn.* 325. *Del Rio* ad *Syntagma Tragædiæ Latinæ* Tom. III. p. 402. *Bonada* Tom. II. *Anthol. Inscr.* p. 373. de pereuntibus in mari, præter alia, plures exstant DD. VV. dissertationes peculiares: talis *Exercitatio*, qua disquiritur: *mors in*

undis cur gentilibus olim præ aliis mortis generibus maxime fuerit invisa? in *Observ. Hallens.* vol. VII. p. 114 — 150. tales etiam *C. L. Carisii* de *morte submersorum in aquis* & *Thomasii de morte in undis* dissertationes, altera *Regiom.* 1735. altera Lipf. 1667. edita, quas laudat *J. P. Caselius de porcis in lustrat.* Tom. II. part. II. pag. 335. fqq. *Symbol. literar.* junge *Nicol.* de *luctu Græc.* Cap. I. §. 3. *Schlichter. Dec. Sacr.* Obferv. II. §. IV. *Patin.* ad *Cenot. Artorii* p. 1145. Tom. II. *Supplem. Poleni* & *Steph. Morinum* Diff. V. p. 204. fqq.

Ceterum notari meretur, Athenis cenotaphia certo figno fuiffe diftincta, quod ικριον appellabant: tefte *Marcellino* in *vita Thucydidis* p. 5. narrans enim, non nullos opinari Thucydidem peregre in exfilio obiiffe Ικριον, addit, επι τȣ ταφȣ κεισθαι. τȣ κενοταφιȣ δε τȣτο γνωρισμα ειναι επιχωριον και νομιμον Αττικον, των επι τοιαυτη δυϛυχια τετελευτηκοτων, και μη εν Αθηναις ταφεντων. Ικριον autem illud *Lipsius* interpretatur *lignum* effe *navale*: not. ad Lib. I. *de Cruce* Cap. IV. p. 1219. *Opp.* Tom. III. conf. *Conradi Parerga* Obferv. IV. §. XIII. p. 94. fq. *Marcellini* verba exfcripfit *Suidas* v. ικριον. pag. III. Tom. II. ed. *Cantabrig.* de aliis vocis notionibus agit *Scholiastes* ad *Apollon. Rhod.* Lib. I. *Argonaut.* vs. 566. adde *Aringhum Rom. subterr.* Lib. I. Cap. XXVII. p. 92. Tom. I.

Uti autem ex adductis veterum locis liquet, *Cenotaphiorum* ritum fatis effe antiquum, ita haud longe quoque recentius eft vocabulum κενοταφιον & κενοταφειν. κενοταφειν eft apud *Eurip. Helen.* vs. 1562. & recentioribus Græcis frequentiffime teritur: uti *Schol.* ad *Pindarum Nem. Od.* 4. επωδ. α. p. 359. ed. *Steph.* κενοταφιȣ notio a *D. Cassio* fuit adhibita Lib. LV. p. 772. & Lib. LXXVII. p. 1300. Tom. II. ed. nov.

nov. ante eum Romani Græca voce suis literis expressa *Cenotaphium* jam dudum dixerant, uti ex fragmentis ICtorum liquet, quæ in π. adservantur: deinde etiam *Lampridius* ea usus est in *Alex. Severo* Cap. LXIII. alioquin ejusmodi monumenta vel *munera gloriæ* cum *Cicerone* in *Philippicis*, vel κενήρια cum *Agathia* dixeris *Anthol. Gr.* Lib. III. Cap. XII. *Epigr.* 48. p. 233. ed. *Steph.* & *Strabone* Lib. VIII. p. 536. ed. nov. conf. *Jo. Meurs.* ad *Lycophr. Cassandr.* vs. 370. p. 64. 65. ed. *Potteri. Franc. Nansii* not. ad *Nonni paraphr. Euang. D. Joh.* Cap. XX. vs. 26. p. 223. & *Curas secundas* p. 50. vel denique ψευδήρια cum *Lycophrone Alex.* vs. 1048. 1181. & forsan etiam 1455. eleganter *Callimachus* κενεὸν σῆμα appellat Epigr. XVIII. p. 290. & *Plutarchus* κενὸν χῶμα *de malign. Herod.* p. 872. F. de quo loco v. Cel. WESSELINGII *Diss. Herodot.* Cap. VII. §. I. p. 63.

Ceterum memorare debeo celebrem, quæ inter ICtos agitur, controversiam, tale cenotaphium, cui desit corpus religiosum haberi debeat, nec ne? eam prolixius examinare non sinit propositi nostri ratio: conf. cel. *Tretzium Memor. Propag.* Cap. I. p. 13. Ampl. Jo. v. *Nispen* in Diss. egregia de *sepulcro violato* Cap. XVI. p. 58. *P. F. M. Bonadam* Diss. *de laude milit. postuma* p. 318. sqq. Tom. I. *Anthol. Inscr. Scip. Gentil.* II. *parerg.* XVI. p. 1334. T. IV. *Thes. Juris. Brisson.* II. *Antiq. Select.* 15. inprimis singularem *Diatribam* eruditissimi *Gothofredi de Cenotaphiis* ed. in ejus *Opp. Jurid. Min.* p. 325. de *Cenotaphiis* in genere præter *Kirchmannum* VII. 27. *Gutherium* II. 18. *Morestellum* X. I. *Nicol.* de *luctu Græc.* Cap. II. lege *Norisium* Diss. III. ad *Cenotaphia Pisana*, *Bonadam* l. c. DD. VV. ad *Suet. claud.* I. §. 7. cel. *Wieling* II. *Lect. Juris* 2. *Dempsterum Etrur.*

Regalis Lib. III. Cap. VII. p. 259. Tom. I. *Jo. ter Hoeven* Diss. *de religioso sepulturæ loco ejusque jure* Cap. II. Traj. 1743. 4to.

2. Καινοταφια: quasi καινοι ταφοι *monumenta* proprie sunt *nova* & *pura*, quæ cadavere quidem sunt destituta, ita tamen ut sepulturæ revera sint destinata: ac proin *Cænotaphia* cum *monumentis virginibus* conveniunt, non item cum *Cenotaphiis*, uti supra vidimus: ipsa vox rarissime reperitur: pro ea enim vel τοπος καθαρος usurpatur: v. lapidem apud *Spon. voyage* T. III. p. 119. vel ταφος καθαρος uti in *Basilicis* Lib. LIX. tit. I. similiter καμαρα καθαρα in *Marm. Oxon.* part. I. n. LXXXI. p. 132. ed. *Prideaux.* confer *F. Stoschii Observ. ad Matth.* XXVII. 60. apud Estuche Erläuterung der H. S. vol. I. Tom. XI. p. 417. & *J. G. te Water Observ. ad hist. sepult. Christi* p. 27. sq. vel sic tamen καινοταφιε mentionem superesse apud *Phavorinum* v. & *Hesychium* v. haud male opinantur DD. VV. interim dubii non nihil manet residuum: legendum in his locis καινοταφιον sit, an κενοταφιον? in primis cum frequentissima in *MSS.* codd. sit confusio τε α & ε. ac proin etiam τε αι & ε. exempla, quæ hanc in rem congessi, adferam non nulla: ἑταιροι & ἑτεροι sæpissime miscentur, uti apud *Ælian.* III. *var. hist.* 2. *Liban. Centur Epp.* p. 296. *Lysiam* in *Eratosthenem* Orat. XII. p. 98. ed. *Tayll.* conf. cl. *Lamb. Bos Observ.* p. 116. Sic & μαναιθως & μανεθως. v. *J. Chr. Wolfii* not. ad *Theophil. Antiochen.* Lib. III. p. 344. & *Liban* l. c. p. 124. hinc male αυ irrepserat in *Sophoclem Oed. Colon.* vs. 1685. p. m. 323. ed. *Steph.* cum ευ legendum fuerit, ut præclare monuit cel. WESSELING I. *Observ.* XXIV. p. 97. sq. male etiam καινην δοξαν pro κενην legebatur ap. *Theophil. Antioch.* Lib. I. §. I. contra κενα δαιμονια pro

καινα

καινα ap. *Procop.* Lib. I. *de Bello Persico* Cap. XI. prave editur: vidit id *Barn. Brissonius*, qui locum recte excitavit in *Comment. de Regio Persarum principatu* Lib. II. cap. CCL. f. denique ap. *Pollucem* X. *Onomast.* 116. pro *κενῳ λυχνιχῳ*, *καινῳ* substituerunt DD. VV. plaudente *Jo. Toup Emendat. in Suidam* p. 8. alia dabunt *Rossal de Christo in Chrestum mutato* Cap. V. p. 19. sqq. cel. *Alberti* ad *Glossar. Græcum N. T.* p. 160. & *J. G. te Water* in *Observ. ad hist. sepult. Christi* p. 27.

De *Cænotaphiis* in genere legere inprimis, Lector, debes cl. *Vrybovii Observationes Juris* Cap. X. p. 44. cujus diligentiæ hac in re non nulla debeo:

3. *Κοινοταφια* *sepulcra* sunt *communia*, quasi diceres *κοινας ταφας*, quod neminem vocis compositio non docet: Ipsum autem vocabulum sic compositum equidem nusquam legere memini: dissolutum tamen sæpius occurrit: sic *κοινον ταφιον* ap. *Fleetwoot. Syllog. Inscr.* p. 279. 3. & *κοινος ταφος* Lib. III. *Anthol. Epigr. Græc.* Cap. VII. Epigr. 6. in *Marm. Oxon.* part. I. n. IV. p. 77. legitur *ξυνον μνημα*, quod eodem redit: in latinis lapidibus interdum etiam *Commune Sepulcrum* habetur: v. *Fabrett. Inscr. Domest.* p. 80. n. 96. & ap. *Horat.* I. *Serm.* VIII. 10. ne quid de *Ausonio* aliisque dicam: —— *Coenotaphia* autem dici possunt vel *sepulcra* illa *plebeja* qualia extra urbem Romam erant, *culinæ* dicta, de quibus *Horatius* loquitur l. c.

Hic miseræ plebi stabat commune sepulcrum,
Pantalabo scurræ, Nomentanoque nepoti:
Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat: heredes monumentum ne sequeretur:

vel in genere tumuli omnes, quos cum *heredibus*, *cogna-*

cognatis, *amicis*, *libertis*, *ſervis* teſtamenti lege communicare defuncti ſolebant: hinc forſan *Artemidorus Oneirocrit.* Lib. I. Cap. LXXX. p. 68. de πορνειῳ. κοινος, inquit γαρ ὁ τοπος ὗτος καλειται, ὡς και ὁ τυς νεκρους δεχομενος. quæ licet de *inferna* etiam *ſede*, ἰν ᾀδης χωρις ῳκιςαι θεων, ut ait *Euripides*, intelligere poſſis, malim tamen de *ſepulcris* interpretari: —— Quæ cum ita ſint, cauſſam non video, quare non æque vocem κοινοταφιον admittere poſſimus ac καινοταφιον, κενοταφιον & κηποταφιον, quæ omnes eodem modo componuntur: & fortaſſis alicubi adhuc deliteſcit, quod mihi huc usque latuit: *Coenotaphium* quidem memorat *Alex. de Nigris* ap. *Malvaſiam Marm. Felſin.* Sect. x. Cap. I. p. 584. ſed id per errorem typothetæ pro *Cenotaphium* intruſum puto:

IIII. Liquet ex his, quæ de *Cenotaphiis*, *Cænotaphiis* & *Cœnotaphiis* diximus, quanta inter omnes has voces, ſi notionem conſideraveris, interſit diſcrepantia, & quam male ſono vocum decipi ſe quis pateretur, ſi alterutram cum altera miſceret: hinc nemo, opinor, erit, qui hanc qualemcunque digreſſionem, quam in primis neceſſariam duxi, gravetur aut moleſte accipiat: nunc ad inſtitutum pergo; ipſumque adeo ritum, quo veteres, non Græci ſolum & Romani, ſed & Hebræi Chriſtianique, non in urbibus, ut nunc ſolemus, nedum in templis, ſed extra urbes in villis hortisque ſuburbanis defunctorum cadavera terræ infodere erant ſoliti, explicare adgrediar: quam quidem rem, ut rite illa tractari poſſet, ab ipſis primordiis & incunabulis repetere conſtitueram, ac proin plurima jam de *cura cadaverum*, *de ſepultura extra urbes* cet. congeſſeram: at enim comperi dein, multa jam his de rebus a multis fuiſſe congeſta, adeo, ut copioſe de illis agere

agere velle, non posse non legenti molestissimum accidere arbitratus sim, satius ducens, capita duntaxat recensere, eaque potissimum, quæ intelligendo *Cepotaphiorum* ritui cum maxime inserviunt, brevissimis legenti exponere: quod fiat bono omine!

C A P. I I.

I. *Cura cadaverum necessaria, contra Stoicorum opinionem. Gentilium hac de re sollicitudo.* II. *Sepulcrorum violatio variis modis prohibita:* custodes *sepulcris adpositi:* III. *Christianorum in servandis martyrum reliquiis cura:* IIII. *Oblationes annuæ & sacrificia: aræ in sepulcris: sepulcrorum capacitas: ea facile in usum habitationis cedere potuisse contra opinionem quorundam adseritur.*

I. Inter præcipuas naturæ leges, quas hominum animis infixit creator T. O. M. locum sibi haud injuria vindicat cadaverum cura: quantumvis enim multa hic a Philosophis vetustis maxime Stoicis inferantur, quæ sepulturæ desiderium dissuadeant: v. *Senecam* Ep. XCII. conf. *Keysler. Antiquit. Septentr. & Celticar.* sect. II. Cap. II. §. VI. p. 128. sqq. & *Menag. ad Diog. Laërt.* VI. 79. p. 255. Tom. II. exemplum dabit *Cic.* I. *Tuscul. quæst.* 143. ubi v. *Davis.* vel sic tamen argumenta ipsorum non tanti sunt, ut plane persuadeant, vanum & inutile prorsus studium esse, quod defunctorum cadaveribus bene curandis impendi solet: vide, quam eleganter pravis istis opinionibus obloquatur *Lactantius* Lib. VI. Cap. XII. §. 27. etsi enim nimius sepul-

pulcrorum ornatus merito a viris gravibus rejiciatur, ut futilis ac ſtultus, ne dicam ſuperſtitioſus: lege ſis elegantem adpoſitamque in hanc rem Epiſtolam *Leon. Bruni Arretini* Lib. VI. Ep. IV. p. 199. ed. *Fabric.* qui vehementiſſime in hunc luxum invehitur: conf. *Nicol. de luctu Chriſtian.* Cap. XII. §. II. p. 89. omnem tamen defunctorum curam abjicere plane velle, impium jure habetur, ut divinis humaniſque legibus aperte repugnans: conf. præter alios *Nicolaum* Lib. II. *de Sep. Hebr.* Cap. I. p. 38. ſqq. & *de luctu Chriſtian.* Cap. II. & ſane jam ab ipſis mundi incunabulis politiores quæque gentes nihil antiquius duxerunt, quam juſtos demortuis honores præſtare: unde *Servius: qui de pietatis*, inquit, *generibus ſcripſerunt, primum locum in ſepultura eſſe voluerunt:* ad VI. *Æn.* conf. *Mag.* II. *Miſcell.* XIX. p. 1350. Tom. II. *Theſ. Crit.* hujus adfectionis cauſſas multi diligenter indagare conati ſunt: v. *Cæſar Scaliger* III. *Poët.* 19. p. m. 243. conf *Barth.* XLIX. *adverſar.* 10. & LIII. 7. primi Chriſtiani innatæ opinioni de reſurrectione mortuorum tribuere hanc curam ſolebant: v. *Cyrillum Hieroſol. Catech.* XVIII. §. V. p. 287. ed. *Touttée:* conf. *Chiflet. de lint. ſepulcr. Chriſti* Cap. I. p. 3. Tom. I. *Opp. Chiflet.* ſic & *Prudentius* X. *Cathemer.* 53. ibique *Siberus* in *Comment.* p. 522. ed. *Weitzii*: tandem huc tendit quoque argumentatio *Jo. Nicolai de luctu Chriſtian.* Cap. IV. §. I. p. 12. & Cap. V. §. 9. p. 24. nec prorſus male: licet D. O. M. in conſervandis defunctorum reliquiis humana ope proprie non indigeat: utcunque illud ſit, certum eſt, ipſos homines inſitum quendam cupiditatis adfectum perſentiſcere, quo vivi impelluntur, ut cadaveribus ſuis, quantum poſſunt, bene velint & conſulant: inde factum eſt, ut ſepulturæ ſuæ olim curam geſſerint, vel

viv[illegible]

vivi adhuc, ſtruendis ſibi cænotaphiis ampliſſimis: conf. eruditos *Marmorum Taurinenſium* editores præf. Tom. I. pag. xv. & *J. G. te Water* in *Obſerv. ad hiſt. ſep. Chriſti* p. 29. ſq. vel teſtamenti lege de ſepulcro ſibi ſtruendo proſpicerent: hinc in lapp. T. F. C. vel I. *teſtamento fieri juſſit*, uti plene legitur in *Inſcr. Benevent.* claſſ. VII. n. 20. p. XXXIII. ne de aliis dicam: hinc incredibilis ille gentium dolor, ſi juſtas amicis exſequias celebrare non potuiſſent. v DD. VV. ad *Ennii Creſphontem* p. m. 261. ad *Horat.* I. *Od.* XXVIII. vs. ult. ad *Ælian. Var. Hiſt.* V. 14. *Pet. Mollium* ad *Longi Paſtoralia* p. 31. *Bonadam Anthol. Inſcr.* Tom. I. p. 227. imo infortunium æſtimabant eſſe maximum, ſi patria terra condere eos non poſſent: v. cel.. *Drakenb.* ad *Sil. Ital.* IV. 77. nec heredes ſolum defunctis hæcce officia præſtare tenebantur: quod legibus cautum ab *Athenienſibus* fuiſſe docet *Meurſ. Them. Att.* l. 2. & a *Romanis* patet ex *Dionyſ. Halicarn.* XI. *Archæol.* p. 714. Tom. I. *Opp.* ſed liberti etiam & ſervi mutuo ſibi ſepulcra inſtruebant: hinc in marmoribus interdum occurrit hæc ſigla: CONS. B. M. F. quam nec *Conſuli*, nec *conſervatori*, uti *Gualtherius* & *Muratorius* voluerunt, ſed *conſervo bene merenti fecit* interpretandam eſſe, opportune monuit vir egregius *Hagenbuchius* in *Ep. Epigraph. ad Blaurerum* p. 12. idem etiam heri ſervis & libertis præſtabant: v. *Fabrett. Inſcr. Domeſt.* Cap. I. p. 6. & not. ad h. l. p. 42. & viciſſim liberti interdum & ſervi dominis ſuis: de *libertis* v. lapides ap *Vignol. Inſcr. ſelect.* p. 220. n. 2. & 288. n. I. & *Jo. de Vitam Inſcr. Benevent.* claſſ. VII. p. XXXIII. n. 22. de ſervis marmor ap. *Fabrettum* teſtatur *Inſcr.* Cap. V. n. X. p. 360. A. ex quibus liquet, quantum fuerit gentium hac

in

in re studium: vel sic tamen reperti interdum sunt, qui necessarium istud officium vel prorsus omittebant, vel non adeo rite exsequebantur; avaritiæ, opinor, potissimum caussa: atque hinc explicari debere *L. Canuleji* cippum ap. *Fabret. Inscr.* p. 755. censet *Bonada Anthol. Inscr.* Tom. I. Diss. III. p. 227. qui sic habet

ET	L. CANVLEIVS FVNVS. FECIT SIBI SE VIVO	TIBI
ET		TV

quasi indicaret *Canulejus* se vivum sibi tumulum condidisse, cognatorum hac in re socordiam & perversitatem probe perspectam habentem: adeoque legenti monens dicat: *sic* ET TV *vivus* TIBI *sepulcrum para*: quam conjecturam dein firmat Tom. II. cl. VI. n. XLI. p. 131. auctoritate alius tituli ubi vs. ult. apposite: DVM. LEGIS. HOC DISCE. PONERE. ET. IPSE TIBI. conf. quoque de *Canuleji* cippo *Huldtmannum* in *Miscell. Epigraph.* §. XLIV. p. 466. sq.

II. Porro ingens illud veterum desiderium bene habendorum cadaverum probant etiam tot leges contra violationem sepulcrorum, injuriamque cadaveribus inferendam: v. *Rad. Prateji Jurisprud. vet.* p. 399. 425. cet. Tom. IV. *Thes. Juris. Meurs.* II. *Them. Att.* VII. p. 177. DD. VV. ad *Phædr.* I. *fab.* XVII. 4. *Trotzium de Memor. Propag.* p. 510. sq. 564. sqq. & præter omnes Ampl. *Jo. v. Nispen* Diss. egregia *de sepulcro violato* Lugd. Bat. 1723. & *Jo.*

Jo. ter Hoeven diss. *de religioso sepulturæ loco ejusque jure* Traj. 1743. tandem hanc in rem lectu dignissima est *Apollin. Sidonii* Epistola III *Ep.* 12. plena sollicita hac de re cura: hinc autem explicari potest *Flori* locus II. VII. 4. *cum ille* inquit *ultra jus victoriæ, in templa, aras & sepulcra* IPSA *sæviret*: quibus verbis sepulcrorum violationem sævitia in templa grassante majorem statuit: ut adeo longissime de via aberret *Manutius Comment. ad Cic Ep. ad Att.* p. 341. B. ed. Venet. *id quod fani nomine appellatur religionem habere* scribens *quod sepulcri non item:* quem propter id recte castigat *Fr. Robortellus* p. 107. Tom. II. *Th. Crit.* nec legibus interdum homines adquiescebant, sed & ipsis in cippis minas & exsecrationes dirissimas intentabant in violatores sepulcri sui: v. *Murator.* p. CDXXIX. 2. MCMX. 2. MMXCVI. 2. præcipue MCCXCVIII. 5. & titulum sepulcro trium virginum Tiburi inscriptum ap. *Jos. Mar. Suaresium* Episcopum Vasionensem Lib. II. *Prænestes Antiquæ* Cap. VIII. p 147. ed. Rom. junge, quæ habent *Reines.* ad class. XX. *Inscr.* n. 440 p. 1000. *Guthberleth.* ad *Monum. Heriæ Thisbes* p. 186. *Opusc. Jacut. Specim. Antiq. Christian.* Exerc. II. p. 38. sqq. *Fabrettus* Cap. II. *Inscr.* p. 109. *Salvinius* ap. *Gorium* Tom. I. *Inscr. Etrur.* p. 268. 344. cl. *Saxius Peric. Animadv. ad Gruter.* p. 45. *Ed. Corsinus* diss. III. ad *marm. vet.* §. VII. p. LIII. sq. nec in violatores solum invehebantur, sed in illos etiam, qui alienum cadaver sepulcro forent illaturi, mulctas statuebant: v. *Murator.* p. CMLI. 1. *Montfauc. Diar. Ital.* p. 202. 424. & lapidem Christiani hominis admodum memorabilem, quem infra ex *Jacutio* integrum dabimus: conf. *Sert. Orsato* in *discorso sopra un sepolcro* p. 251. & not. p. 355. degli *Marmi eruditi:* ceterum no-

tari meretur frequentiſſima in his mulctis *Matris Sipylenæ* mentio: v. omnino *Guthberleth.* ad *Inſcr. Smyrn.* p. 129. ſqq. & junge lapidem, mendoſiſſime, ut ſolet ille, a *Pocockio* editum *Inſcr. Antiq.* Sect. VII. n. 20. p. 24. quem obiter emaculabimus: ſic habetur vs. penult. *εαν δε τις τολμηση* ΘΗΣΕΙΜΗΠΙΘΕΩΗΣΠΥΛΗ ✠ ΥΕ lege ΘΗΣΕΙ. ΜΗΤΡΙ. ΘΕΩΝ. ΣΙΠΥΛΗΝΗ. ΔΗΝΑΡΙΟΥΣ. ΥΕ. *dabit matri Deorum Sipylenæ denarios* CCCCV.

Ut vero accuratius ſepulcra obſervari defendique ab omni vi & injuria poſſent, adpoſiti etiam *ſervi* & *cuſtodes* fuere: v. *Forner.* III. *Rer. quotid.* XIX. p. 215. T. II. *Th. Iuris.* DD. VV. ad *Petron.* p. 511. 354. ſq. eruditiſſ. *Gorium Obſerv. ad quæd. monum. antiqua* p. LXVII. *Inſcript. Donii* præmiſſis, & quæ nos de iis infra copioſius disputabimus.

Quoniam autem tanta erat ſollicitudo, ne quod cadaveribus damnum inferretur, heredes interdum amicique celebratis rite exſequiis, ipſos defunctos in ſepulcralibus titulis inducebant, cognatis gratias pro præſtito ſepulturæ honore agentes: exemplum eſt in egregio marmore Græco metrico, quod præter *Sponium* in *Miſcell. erud. Antiq.* Sect. X. n. CXV. p. 369. & *Reineſium Append. Inſcr.* n. 43. p. 1030. ediderunt *Manilli villa Borgheſe deſcritta* p. 147. (Rom. 1650. 8vo.) *Fabrett.* Cap. II. *Inſcr.* p. 64. n. I. & *Bonada Anthol. Inſcr.* Tom. II. cl. VI. n. XVI. p. 110.

ΠΟΠΙΛΙΗΣ. ΤΑΦΟΣ. ΟΥΤΟΣ. ΑΝΗΡ. Δ'. ΕΜΟΣ. ΑΥΤΟΝ. ΕΤΕΥΞΕΝ
ΩΚΕΑΝΟΣ. ΠΑΣΗΣ. ΕΜΠΕΡΑΜΟΣ. ΣΟΦΙΗΣ
1. 'ΟΥ. ΦΗΤΟΙ. ΓΑΡ. ΕΜΟΙ. ΠΕΛΕΤΑΙ. ΚΟΝΙΣ. ΕΝ. Δ'. ΑΧΕΡΟΝΤΙ
ΥΜΝΗΣΩ. ΤΗΝ. ΣΗΝ. Ω. ΑΝΕΡ. ΕΥΣΕΒΙΗΝ

ME-

1. Sic *Manilli*: recte *Sponius* ΚΟΥΦΗ. ΤΟΙ. ΓΑΡ. ΕΜΟΙ.

ΜΕΜΝΕΟ. ΚΗΝ. ΖΩΟΙΣ. ΕΜΕΘΕΝ. ΚΑΙ. ΠΟΛΛΑΚΙ. ΤΥΜΒΩΙ
ΣΠΕΙΣΟΝ. ΑΠΟ. ΒΛΕΦΑΡΩΝ. ΔΑΚΡΥ. ΑΠΟΙΧΟΜΕΝΗΙ
ΚΑΙ. ΛΕΓΕ. ΠΟΠΙΛΙΗΝ. ΕΥΔΕΙΝ. ΑΝΕΡ. ΟΥ. ΘΕΜΙΤΟΝ. ΓΑΡ
ΘΝΗΣΚΕΙΝ. ΤΟΥΣ. ΑΓΑΘΟΥΣ. ΑΛΛ' ΥΠΝΟΝ. ΗΔΥΝ. ΕΧΕΙΝ.

huic convenit Latinum metricum quod ex *Muratorio* p. MDCCLXX. I. repetiit *Bonada* T. II. cl. VI. n. LV. p. 140. ſimile teſtatur alius *Muratorii* lapis p. MCDXXVIII. I. indeque ap. *Bonad.* n. XXXIX. p. 129.

III. Nec gentiles ſolum tam ſuperſtitioſe curæ cadaverum ſtudebant, ſed & Chriſtiani veteres eam inter præcipua pietatis officia reputabant, gratumque adeo ſe Deo opus præſtare opinabantur, ſi pauperes ſepulturæ traderent: v. *Barth.* XLI. *adverſar.* XVI. p. 1847. præcipue vero in conquirendis martyrum reliquiis ſummum collocabant ſtudium: v. obiter *Boſii* not. ad *paſſion. S. Cæcil.* p. 82. copioſe vero & diligenter de omni hac re expoſuit cel. *G. Bonnet* in *Specim. hiſt. de cauſſis ſuperſt. inter Chriſtianos* §. XIV. p. 27. ſqq. Traj. 1753. quæ quidem cura dein ſenſim in ſuperſtitionem vertit: Cum enim primis initiis Deum adorare ſuper ſepulcra martyrum conſueviſſent, aliasque ibi pietatis cultusque divini cerimonias peragerent, ſæpe etiam mutuo ſemet in fide confirmarent, ut exemplo martyrum, illorum incitarentur, quo perſecutiones & vexationes conſtanti animo ferrent, contra labente tempore ipſas illas martyrum reliquias quaſi vivas videntesque honorare non ſolum, ſed & adorare cœperunt, ſacrificia & oblationes ad ſepulcra annuas Sanctis illis & beatis martyrum animis obferentes. v. *Caſſian. Collat.* II. Cap. V. f. *Hiſt. Apoſtol.* Lib. V. Cap. VIII. pr. ap. *Fabric. Cod. Apoc. N. T.* p. m. 548. conf. *Geyer.*

de *Luctu Hebræor.* Cap. VI. §. 9. p. 120. *Ruinart. Prolegom.* ad *Acta Martyr. Sincer.* §. IV. n. 70. p. LXXIV. ſqq. & *Suicer.* Tom. II. *Th. Eccleſ.* p. 1248. quem ritum quin a gentibus derivaverint Chriſtiani, nullum eſt dubium: v. *Anſaldum de cultu pictar. tabb.*. p. 47. ſqq. (Venet. 1753. 4to.) certe hæ quotannis etiam oblatis epulis, celebratisque ſacrificiis Deos manes colere ſolebant: v. *Keysler.* Sect. II. *Antiq. Septentr. & Celt.* Cap. V. p. 205. cl. *Arntzen. Specim. Obſerv.* Cap. VII. p. 38. ſqq. cet. quem in finem templa quoque, prorſus ut apud Chriſtianos, ſepulcris fuere ſuperſtructa: v. *Dan. Gerdes* Tom. XV. de *l'hiſtoire Critique de la Republ. des lettres* p. 107. ſq. & *P. Zornium* Tom. I. *Bibliotb. Antiq. Exeget.* part. VI. p. 514. accurate & copioſe de oblationibus a Chriſtianis in honorem martyrum celebratis agunt *Caſp. Sagittarius* diſſ. de *natalitiis martyrum* Tom. II. *ſyntagm. diſſ. philol.* & *Boldettus* Lib. I. *Oſſervaz. ſopra i cimit.* Cap. IX. ſqq.

IIII. Obſervo autem hic ὡς ἐν παρόδῳ, ſacrificia & ritus iſtos tam a gentilibus, quam Chriſtianis in ipſis ſepulcris tantum non ſemper fuiſſe celebratos: quod & interna patiebatur ſtructura & ſepulcrorum capacitas: in illis enim ſcamna fuiſſe, aliud ſuper alio poſita, obſervant Docti Viri, ut in ſuperioribus urnæ collocarentur, in inferioribus defunctorum adfines amicique celebrandis ſacris ſederent: confer egregia hac de re ex *Gorii Muſeo Etruſco* Tom. III. monentem *Bonadam* Tom. I. *Anthol. Inſcr.* diſſ. III. p. 230. atque hinc explicanda eſt ararum mentio, quas vel in ipſis ſepulcris erectas, vel tumulis ſuperſtructas paſſim legimus: v. *Fabrett.* not. ad Cap. II. *Inſcr.* p. 107. *v. Lom* diſſ. ad *vet. chirogr. p.* 44. *Martin La Relig. des Gaulois* Tom. II. p. 255. ſqq. *Zornium* Tom. II.

Opuscul. p. 536. *Boldettum* Lib. I. Cap. IIX. p. 30. *Bosii* not. ad *Lit. Pasch. I. Pap.* p. 149. *Chr. Holwehl* diss. ad *Apocal.* XX. v. §. XIV. p. 133. Tom. I. *Symb. Literar. Th. Dempsteri Etrur. Regal.* Lib. III. Cap. XI. p. 271. Tom. I. nec quidquam huic etiam rei sepulcrorum obstabat capacitas, si quidem tantum non omnia facillime aliquot homines capere potuerint: præcipue κοινοταφια, quæ pluribus erant communia adeoque πολυανδρια vocabantur: v. *Faes.* ad *Gyrald.* p. 748. sq. *Nicol.* I. *de Sep. Hebr.* II. XVI. p. 23. cel. *Hemsterhus.* ad *Polluc.* Tom. II. p. 986. *Orsato discorso sopra un sepolcro* p. 284. quibus opponuntur sepulcra *bisoma*, *trisoma*, *quadrisoma*: v. *Jacut. Specim. Antiq. Christ.* p. 20. not. 2. atque hinc intelligitur, quomodo non latitare solum in sepulcris, sed etiam in iis habitare non nulli potuerint: nota est historia *mulieris Ephesinæ* apud *Petronium Satyr.* Cap. CXI. p. m. 509. & *servus in sepulcro habitans* memoratur l. 3. §. II. π. *de sep. viol.* hinc *Artemidorus* quoque eorum meminit, qui εν μνημασι, και ταφοις, και εν οδω καθευδυσι Lib. I. *Oneirocr.* Cap. LXXXIV. p. 78. ed. *Rigalt*: junge quæ habent *Velserus Opp.* p. 497. *Bonada Anthol. Inscr.* T. II. p. 485. *Jo. Nicolaus de Luctu Christian.* Cap. IV. §. 4. p. 15. & Cap. XXV. §. 12. *A. Bosius* not. ad *passion. S. Cæcil.* p. 65. & *Zornius* Tom. I. *Biblioth. Antiq.* p. 515. sqq. nec in Græcia tantum & Romæ, sed & in Palæstina tam ampla sepulcrorum structura obtinuit: lege omnino *Shaw Voyage* Tom. I. p. 367. sq. & quæ habet **Eskuche in Betrachtung der Jüdischen Gräber** §. VI. vol. I. Tom. XI. **der Erläuterung der heiligen Schrift** p. 388. sq. præcipue §. VII. p. 390. sq. ubi *M. P. Kuntzii dissert.* laudat peculiarem *de habitaculis obsessorum in sepulcris ad Matth. VIII.* 28. *Marc. V.* 3.

V. 3. *Luc. VIII.* 26. etiam Jon. Korten Reise nach den gelobten Lande Lib. II. Cap. v. p. 109. 110. Halæ 1743. Quæ cum ita ſint, qua ſum ſtupiditate, perſpicere plane non poſſum, cur *δαιμονιζόμενοι* iſti *Gadareni Matth. VIII.* &c. in ſepulcris habitare non potuerint: uti *Keuchenius* voluit *Obſerv. in N. T.* p. 199. ed. cel. *Alberti*: & nuperrime vehementer urſit cl. *de Rhoer* Lib. II. *Otii Daventr.* Cap. 2.

Hæc de cura veterum, quam cadaveribus bene habendis impendere ſolebant, ſufficiunt: omnia quæ huc ſpectant pro incomparabili ſua eruditione ſummo judicio & delectu congeſſit æternum patriæ noſtræ decus *Hugo Grotius* Lib. II. *de Jure B. ac P.* Cap. XIX. adde quæ habent *Barbeyracius* in *Comment.* Tom. II. p. 548. *Jacut. Specim. Antiq. Chriſt.* Exerc. II. p. 31. *Nicol.* de *Luctu Græcor.* Cap. I. & XXI. *Schlichterus Decim. Sacr.* Obſ. II. p. 28. aliique haud pauci.

CAP. III.

I. *Varia ſepulturæ genera: ſepulcra in montibus & ſpeluncis.* II. *Sepulcra in domibus apud Hebræos, Græcos, non item apud Romanos: Servius notatur. Templum de ſepulcro: Virgilius explicatur. Lares & penates, eorumque origo.* III. *Sepulcra extra urbes, in viis publicis.* IIII. *Cauſſæ hujus moris variæ.*

I. Expoſitis quæ de neceſſaria cadaverum cura debitisque erga defunctos officiis erant præmittenda, fundamentum reliquæ diſputationi habe-

bemus ſubſtratum: ſi quidem impulſi hac ſollicitudine homines circumſpicere de locis cœperunt, ubi cognatorum amicorumve cadavera ab omni violatione & injuria tuta deponere poſſent: primum igitur in montibus effoſſisque ibi cryptis & ſpeluncis mortuos humarunt, quod (ne quid de *Adami*[1.] ſepultura dicam) probant *Aäronis*, *Joſuæ*, *Eleazari*, cet. ſepulcra, quorum in SS. exſtat mentio: vide omnino *Nicol.* III. *de Sep. Hebr.* XV. 10. p. 208. *Sert. Orſato* in *diſcorſo ſopra un ſepolcro* p. 257. ſqq. *J. G. te Water in Obſerv. ad hiſt. ſepult. Chriſti* p. 25. ſq. de aliarum gentium conſimili more agit *Steph. Zamoſius* in *Analectis Lapp. vett. & nonnull. in Dacia antiq.* Cap. IX. p. 32.

Tartaros etiam nunc ingentes terræ cumulos ſepulcris celebrium virorum imponere ex *Itineribus* probat *L. Eſcuche* in *Expoſitione S. S. ex Itinerum Orientalium deſcriptionibus* dialecto Germanorum ſcripta: ad *Maccab.* I. XI. 4. vol. 1. Tom. I. p. 27. ſq. de ſpeluncis & cryptis, in quibus vetuſtiſſimas gentes cadavera depoſuiſſe diximus, obiter

1. hujus ταφον κρανιυ τοπον ειναι οἱ Ἑβραιων διδασκαλοι φασιν, ut ait *S. Athanaſius* de *paſſ. & cruce Domini* p. 1003. Tom. I. Opp. quicum alii haud pauci conſentiunt: ex *Patribus* v. c. *Jo. Chryſoſthomus homil.* LXXXIV. in *Joann.* p. 542. Tom. VIII. Opp. ed. Francof. *Tertull.* Lib. II. *in Marcion.* p. 800. Opp. ed. *Rigalt. Germanus Patriarcha Orat. in Domin. Corp. Sepult.* ap. *Combefiſium* Tom. I. *Auctar. Patr.* p. 1484. A. aliique: ex recentioribus Cardin. *Cæſar Baronius Annal.* Tom. I. p. 175. ſq. conf. *Nicol.* III. *de S. H.* I. VII. p. 116. & de *L. C.* Cap. II. §. 3. p. 5. *Jo. Seelen Miſcell.* P. III. *Comment.* II. *fab.* V. p. 32. ſqq. *Goezius de Adami reliquiis* ap. *Fabric. Cod. Pſeudepigr. V. T.* Tom. I. p. 59. ſqq. *Suicerus* in *Theſ. Eccleſ.* Tom. I. *v.* Αδαμ & Tom. II. *v.* κρανιον. hodienum Turcæ in monte Calvariæ locum oſtendunt, ubi Adami caput inventum fuerit, ſimulque Melchizedeci ſepulturam: v. Jon. Korten Reiſe lib. II. Cap. II. p. 70. *Thevenot Voyage* P. II. L. II. C. XXXIX. p. 603.

ter agit *Scip. Maffei Istoria Diplomatica* p. 237. junge eruditissimum ICtum *Gothofredum* in incomparabili commentario ad *Cod. Theodos.* Tom. III. p. 161. ed. *Ritteri:* & *Fabric.* not. ad *Euang. Nicodemi* Cap. xi. p. 262. *Cod. Apocr. N. T.*

II. Dein variæ gentes secum retinuisse cadavera videntur, & intra urbem non solum sed & in ipsis ædibus tumulasse: *Hebræi* uti intra urbes interdum sepulcra struxerunt v. *Nicol.* I. xiii. p. 186. ita defunctos in propriis ædibus eos tumulasse, probabiliter adseri non potest: intercedentibus *Geyero* de *Luctu Hebræor.* Cap. vi. p. m. 123. & *Nicolao* III. de *S. H.* xv. p. 193.

Græci vetustissimi non solum intra urbem monumenta erexerunt, uti *Cecropi* Regi, cujus sepulcrum fuit in ipso Minervæ templo: v. *Meurs.* I. *Regn. Att.* xii. p. 62. & *Ericbthonio*, eodem loco, quo Cecrops, condito, secundum *Apollodorum* Lib. III. conf. ejusdem *Meursii Cecropia* Cap. xxi. p. 61. sed in ipsis etiam domibus, εν τῃ οικιᾳ τȣς αποθανοντας sepeliisse testatur *Plato* in *Politico* p. 315. Tom. II. Opp. ed. *Steph.* & colligeres quoque ex *Diog. Laërtio* Lib. v. Sect. LXXIV. περι δε της ταφης εαν τε αυτȣ βȣληται λυκων θαπτειν, εαν τε εν ΟΙΚΩι, ουτω ποιειτω. conf. *Kirchm. II.* 20. & *Pet. Victorius* XIV. *Var. Lection.* XXI. *Lacedæmoniorum* legislator Lycurgus omnem, ut ait *Plutarchus*, superstitionem removens, sepeliri in urbe cadavera non interdixit, ne videlicet juventus mortis horrore adficeretur: vide eum in *Lycurgo* p. 56. B. Tom. I. & *Instit. Lacon.* p. 238. C. Tom. II. Opp. quam legem observatam quoque fuisse, ex *Pausaniæ Laconicis* liquet, ubi frequenter sepulcra memorat, quæ in urbe erant: v. c. Regum Agiadarum: conf. *Meurs.* de *R. Lacon.* Cap. ix. p. 45.

De-

Denique priscos etiam *Latii* incolas privata in aedibus sepulcra habuisse haud pauci censent: v. *Nicol.* III. *de S. H.* XIII. p. 186. & XIV. 192. *Isidori* potissimum testimonio nixi, qui Lib. XV. *Orig.* XI. p. 1201. ed. *Gothofr. prius* inquit *quisque in sua domo sepeliebatur*, *postea* cet. dubito tamen vehementer, satisne idoneus hac in re testis *Isidorus* sit: idem de *Alexandro Neapolitano* adfirmandum qui *VI. Genial. dier.* 14. & III. 2. *Romani* ait *in domibus, quas singuli incolebant*, (*mortuos humarunt*) *doliis aut vasculis, qua ex caussa lares colere coeperunt*: ubi Romanos videtur cum Æthiopibus miscuisse, qui defunctos, doliis quibusdam seu ligneis vitreisve thecis inclusos etiam mensae adponebant: v. *Herodot.* III. 24. *Diod.* Tom. I. p. 128. ed novissimae: conf. DD. VV. ad *Sil. Ital.* XIII. 475. *Salmas.* in *Solin.* T. II. p. 850. *Con. Middleton Monum. erud. antiq.* p. 253. *Faes. ad Gyraldum* p. 729. Tom. I. Opp. cet. —— porro *Servii* quoque varia adferuntur testimonia: ad *Æn.* VS. 64. ubi *Sciendum* dicit *quia etiam domi sepeliebantur, unde orta est consuetudo, ut Dii penates colantur in domibus*: quae verba aeque de Graecis possunt accipi, ac de Romanis: similiter ad *Æn.* VI. p. 423. E. ed. *Pet. Dan. apud majores, ut supra diximus, omnes in suis domibus sepeliebantur: unde etiam umbras larvas vocamus, nam dii penates alii sunt: inde est, quod Dido etiam cenotaphium domi fecit marito*: in quibus verbis multiplex error est, unde vix ea *Servio* ausim intribuere, cujus *Commentarium* vere eruditionis promum condum, recentiori tempore misere depravatum interpolatumque esse omnes norunt: Primo enim si de *Romanis* probare voluisset, uti *Nicolaus*, aliique sepulturae intra aedes a Romanis receptae patroni, verba intelligunt, quid tum fa-

ciebat exemplum Carthagine arcessitum? praeterea id ipsum Didonis factum pessime urget observationis auctor, quantumvis de vetustis in genere populis loqueretur: Dido enim marito *Sichaeo* domi vel *Cenotaphium* struxit, (uti ipse Grammaticus conceptis verbis testatur) hoc est *tumulum honorarium*, in quo ossa ejus non erant condita: vide quae supra de *Cenotaphiis* disputavimus Cap, I. §. III. n. I. habes alterum errorem: vel ipsi *Templum* aedemque sacram ut Divo erexit: secundum *Ovidium*, apud quem ipsa Regina sic loquitur *Heroid.* Ep. VII. 99.

Est mihi marmorea sacratus in aede Sichaeus cet.

& *Virg.* IV. *Æn.* 457.

Praeterea fuit in tectis de marmore Templum
Conjugis antiqui;

unde minime sequitur *Sichaeum* in domo conjugis Carthagine fuisse sepultum: at inquiunt alii *Templum Virgilii* de *sepulcro* debet accipi, uti versa vice *Lycophron* τυμβον pro *templo* posuit: sic certe *Kortholtus* ad *Athenagor. Legat. pro Christ.* p. 113. ed. Oxon. *Thom. Dempsterus Etrur. Regal.* Lib. III. Cap. X. §. 3. p. 267. Tom. I. *Nicol. de Luctu Christ.* Cap. XI. §. 12. p. 72. & *Dan. Gerdes* diss. *de laribus & penatibus* Tom. XV. De *l'hist. Crit. de la Republ. des Lettres* p. 101. 109. verum gaudeant illi suo invento, largiamur *templum* interdum de *Sepulcro* dici: certe apud *Virgilium* accipi nequit: *Sichaeus* enim, ut brevi rem absolvam, in domo *Didonis* Carthagine sepeliri nullo modo potuit, ut qui dudum ante in Phoenicia erat humatus;

tus: res clariſſima eſt ex teſtimonio ipſius Reginæ, quæ in *Ep. ad Æneam* ap. *Ovid.* l. c. de fuga ſua ex Phœnicia ſic ait

Exul agor, cineresque viri, patriamque relinquo;

conf. elegantiſſime hac de re diſputantem *G. L. Odericum* in *Diſſert. Sopra un antica Iſcrizione* p. 67. ſq. not. Romæ 1756. 4to. qui vulgarem de *Sichæo* Carthagine ſepulto errorem erudite profligavit: atque hæc fere ſunt argumenta, quibus non nulli probare conantur, etiam Romanis ſepulturam intra ædes uſu receptam fuiſſe, ſane quam levia & nugatoria, uti nemini ex iis, quæ diſputavimus, non liquidiſſime adpariturum confido: in genere negari nollem hic illic, antiquiſſimis temporibus, præſertim in Græcia interdum tritam fuiſſe conſuetudinem, cadavera in ipſis domibus condendi: hinc autem ſimul invaluiſſe, ut *penates laresque* in domibus colerentur, neceſſario ſtatui debere non crediderim: potuerunt enim æque commode defunctos illos *larium* nomine venerari extra ædes urbesque conditos, ac ſi in ipſis ædibus ſecum habuiſſent: ſic tamen in vulgus traditur, altero, ut ſolet, alterius veſtigia premente: v. *Boxhorn. quæſt. Rom.* VI. p. 923. Tom. V. *Th. Antiq. Rom. Wonna Exercit.* I. *de geniis* Cap. III. p. 31. Tom. II. *Synt. diſſ. philol. D. Gerdes* diſſ. *de Larib. & Penat.* Cap. II. §. I. p. 99. *Th. Sellius Obſerv.* Cap. XI. *Baudelot de Dairval La Utilité des Voyages* Tom. I. p. m. 167. ed. Pariſ. *Nicol.* III. de *S. H.* XIV. 2. p. 192. *Dempſterus Etrur. Regal.* Lib. II. Cap. XIII. p. 137. Tom. I. *Jo. Cotovicus Itin. Hieroſol.* Lib. IV. Cap. XII. p. 462. *Th. Porcacchi Funerali antichi* p. 53. *Fr. Perucci Pompe Funebri* Lib. II. p. 46. cl. *Ode* Sect. IX. *de Angelis* Cap. I. §. XIV. p. 912. ſq. aliique

que, quos enumerant *Jarckius* not. ad *El. Schedium* II. de *D. Germ.* XLIX. p. 688. & *v. Lom* ad *vet. chirogr.* p. 5. qui tamen nec ipsi inter se conveniunt, aliis *larium*, aliis *penatium*, aliis utroque nomine cultos defunctos fuisse arbitrantibus.

III. Interim nec diu nec frequenter sepultura ista in domibus intraque urbes obtinuit: maluerunt enim ipsi homines in agris villisque aut viis publicis extra urbes reliquias suas sepulturæ tradi: quæ tum consuetudo vulgarior sensim fieri cœpit, accedentibus Principum magistratuumque legibus, quæ civiles ob caussas diserte prohibebant, ne quis cadavera in urbibus sepeliret:

Hebræi certe jam ab antiquissimis inde temporibus extra urbem sepulcra habuere: unde *Abrahamus* de sepulcro suo *Genes.* XXIII. 8. λαλησατε ait περι εμου Εφρων τω τȣ Σααρ, και δοτω μοι το σπηλαιον, το διπλȣν, ὁ εςιν αυτω εν τω μερει τȣ αγρȣ αυτȣ: collato *Ephronis* responso vs. II. dein idem probant exsequiæ filii unici viduæ Nainicæ, qui extra urbem efferebatur *Luc.* VII. 12. & sepulcrum Josephi, in quo conditus Dominus noster fuit: ne quid de Gadarenis dicam a malo dæmone actis, qui extra urbem in monumentis habitabant: conf. quæ supra disputavimus Cap. II. §. IIII. p. 37. sq. non enim hic valet, quod nonnulli inferunt, eos dici *ex urbe venisse*; illud enim εκ πολεως ap. *Lucam* VIII. 27. non referri debet ad το ὑπηντησεν sed ad ανηρ: ὑπηντησεν αυτω ανηρ τις εκ της πολεως. *occurrit ei vir quidam ex urbe* hoc est *oriundus ex urbe*, uti recte monuit *Millius*, quem probat *Blackwall. Crit. Sacr.* p. 524. ed. *Wollii* —— confer in genere *Suicer.* T. II. *Th. Eccles.* p. 1240. *Geyer. de L. H.* cap. VI. p. 120. *Hennin.* ad *Bergier. de viis* p. 691. F. Tom. X. *Th. A. R. Nicol.* III. *de S. H.* XIII. sq.

J. C.

J. C. Wolf. ad *Luc.* VII. 12. p. 632. *Cur. Philol.* Tom. I.

De *Græcis* ſimilia colliguntur ex *Menandro* p. 277. ed. *Clerici:* Εμβλεψον εις τα μνημαθ' ὡς ὁδοιπορεις. *adſpice & attende ad ſepulcra, cum iter facis:* i. e. *in viis publicis*, extra urbem: hinc *Theocritus Idyll.* VII. 10. ſepulcrum Braſilæ memorat, egredientibus ex urbe paſtoribus occurrens: quem imitatur *Virg.* Ecl. IX. 59. ubi v. *Taubm.* not. & *F. Urſini Collat. Virgil.* p. 85. ed. *Valckenar.* de Athenienſibus ſigillatim id liquet ex Ep. *Servii Sulpitii* ad *Cic.* IV. *Fam.* 12. conf. *Scoppæ ſyllog. adnotat.* I. XXVIII. p. 932. Tom. I. *Th. Crit.* de Sicyoniis ex *Plutarcho* p. 1051. Tom I. Opp. lege *Mag.* ad *Nep. Dion.* X. 3. de Græcis recentioris ævi *Jo. Chryſoſthomus* teſtatur *Expoſ. in Pſalm.* V. p. 36.. Tom. V. & p. 711. Tom. VII. Opp. ed. *Montfauconii:* conf. præter *Kirchm.* II. 20. *Faeſ.* ad *Gyrald.* p. 738. *Moreſtell.* III. 10. etiam *Lampe* in *Joann.* T. III. p. 645. *M. Donati dilucidat.* p. 549. T. VI. *Th. Crit.* atque hinc intelligitur, cur *Artemidorus* Lib. I. *Oneirocrit.* Cap. LVIII. f. bonum ægrotanti eſſe dicat, ſi per urbem videatur vehi, non ſi extra urbem ſe efferri ſomniet: quia mortui extra urbem ad ſepulturam deducuntur: hinc *Pollux* quoque inter ea, quæ extra oppidorum portas & mœnia ſunt, ταφυς quoque & μνηματα recenſet *Onom.* Lib. IX. Cap. IV. p. 986. Tom. II.

Nunc de *Romanis* videamus neceſſe eſt: conſtat primis jam regni reipublicæque initiis uſu receptum Romæ fuiſſe, ut cadavera extra urbis portas ſepelirentur: id præter alios (ne quid de *Numa* dicam, de quo res non adeo eſt certa: v. *Pitiſcum* Tom. III. *Lex. antiq.* p. 411.) exemplum *Servii Tullii* demonſtrat: quem extra urbem fuiſſe elatum con-

conditumque disertis veterum testimoniis adseritur: v. *D. Halicarn.* IV. *Archæol.* p. 243. mox vero usum hunc sensim antiquari cœptum Decemviri sub initium seculi ab *U. C.* quarti (v. *Gell.* XX. 1.) instaurarunt, legemque tab. X. inseruerunt, quam servavit *Cic.* II. *de Legib.* 23. HOMINEM. MORTVVM. IN. VRBE. NE. SEPELITO. NEVE. VRITO. conf. ibid. D. D. V. V. tum *Gothofred.* ad LL. XII. *tabb.* p. 133. 183. *Opp. min. Merul. Opp. posthum.* p. 120. *Manut.* & *Augustin.* de *Legib.* p. 1076. & 1315. Tom. II. *Th. A. R. Reimar.* ad *D. Cass.* Tom. I. p. 385. 45. aliique uti cel. *Otto* præf. T. III. *Th. juris*: p. 38. Ampl. *Idsinga Var. Jur. civ.* Cap. XX. p. 180. sqq. dein circa *A. U.* XD. *C. Duillio* & *L. Papirio Crasso* Coss. renovata iterum hæc lex & probata fuit: teste *Servio* Æn. XI. 206. p. m. 615. ex his patet, non accuratum satis esse *Bonadam* Tom. I. *Anthol. Inscr.* p. 221. *ante Duillii consulatum promiscue tam in urbe quam extra urbem sepulta fuisse cadavera* scribentem: Leges autem hasce observatas etiam fuisse ex variis historiarum testimoniis DD. VV. probatum dederunt: sic populus legem agrariam Gracchi abrogari cupiens, iniquum esse caussabatur sepulcris se majorum suorum in agris hereditariis destitui ap. *Appian.* I. *B. Civil.* p. 607. T. II. ed. Toll. junge *Kirchm.* II. 20. *Donati Dilucid. in Suet. Tib.* p. 547. T. VI. *Th. Crit.* eruditiss. *Gothofredum* ad *Cod. Theodos.* T. III. p. 152. Porro idem luculentissime adserunt tot sepulcrorum monumenta passim in viis publicis Romæ reperta & residua: conf. *Auct. Rei Agrar.* p. 4. 254. 267. 347. ed. *Goesii.* v. *Lom* ad *vet. chirogr. Th. Murat.* p. 27. tum *Kirchm.* II. 22. *Fabric. Rom.* p. 461. T. III. *Th. A. R. Morestell.* Lib. IV. integro: *Savaro* ad *Sidon. Apollin.* III. *Ep.* 12. singularem *J. G. Nimptschii*

diss.

diff. *de sepulcris ad viam publicam* Lipf. 1721. laudat *Jarckius* ad *El. Schedium* II. de *D. G.* Cap. 49. p. 682. quam tamen non vidi: præcipue in via Appia crebra etiam hodie sepulcra durant. v. *Ant. Bosium* not. *ad Passion. S. Cæcil.* p. 61. & *Bern. de Montfaucon Diar. Ital.* Cap. XI. p. 156. inter quæ celeberrimum illud Libertorum Liviæ sepulcretum, seu columbarium A. 1727. mense Januario detectum numerari suo jure debet: v. *Fr. Bianchini Camera ed iscrizioni sepolcrale de Liberti, servi ed ufficiali della casa di Augusta* Rom. 1727. Fol. *A. F. Gorii Columbarium Libertorum Liviæ Augustæ* Florent. 1727. Fol. rep. T. III. *Supplem. Poleni*: inprimis accuratissimam *Ghessii* delineationem, haud diu post Romæ editam: ——— Labente vero tempore post salutarem D. N. I. C. adventum, Imperatores variis rescriptis, variis etiam legibus sepulturam extra urbem firmarunt: sic *Hadrianus pœnam XL aureorum statuit in eos, qui in civitate sepeliunt* cet. ap. *Ulpian.* l. 3. §. 5. *π.* de S. V. & *Antoninus Pius intra urbem sepeliri mortuos vetuit* teste *Capitol.* XII. modo ne eædem sint *Hadriani* & *Antonini* leges, uti nonnulli censent: v. *Comment. ad Cod. Th.* T. III. p. 160. & *M. Donati dilucid.* p. 547. similia *Diocletiani Maximianique* rescripta habentur l. 12. *Cod.* de *relig. & sumt. fun.* tum *Gratiani, Valentiniani,* & *Theodosii* Impp. l. 6. *Cod. Theod.* de *Sep. viol.* p. 159. T. III. conf. quæ de omni hac re eleganter scripsit *Noordkerk* in *Observ. Decade* Cap. V. p. 93.

IIII. Caussæ, quibus olim impulsi homines fuerunt, ut sepulturam intra urbes tam acriter prohiberent, variæ adferuntur: præcipuam equidem a communi priscarum gentium opinione deductam velim, qua cadavera funesta & pollutione no-

cen-

centia habebantur, non apud Ethnicos solum sed & ipsos Hebræos: argumento *Levit.* XXI. 1. II. II. *Reg.* XXIII. 16. conf. *J. G. Michaëlis* diss. *de Synag. Jud. prope sepulcra.* Tom. III. part. IV. *Symb. Liter.* p. 615. de aliis populis præter *Kirchm.* II. 21. lege *Brodæum* IV. *Miscell.* I. p. 509. T. II. *Th. Crit.* DD. VV. ad *Gell.* X. 15. *Dion. Cass.* Tom. I. p. 759. *Nep. Dion.* p. 291. *Gothofred.* ad *Cod. Theod.* T. III. p. 161. *Lomeyer.* de *Lustrat.* p. 171. *Bonad.* T. II. *Anthol.* p. 26. caussam hanc diserte adfert *Jul. Paullus* I. *Recept. sent.* p. 262. *Iurispr. Antejust. Corpus* inquit *in civitatem inferri non licet, ne funestentur sacra civitatis:* ubi tamen dubium movet cel. *Schultingius*, de cadaverum illatione duntaxat intelligendum esse judicans. —— porro aliæ plures adducuntur rationes pleræque tamen minoris momenti: sic *Varro* V. *de L. L.* p. 38. ed. *Gothofr.* ideo secundum vias structa fuisse sepulcra ait, *quo prætereuntes admoneant, & se fuisse, & illos esse mortales*: quam rem egregie illustrant monumentorum variæ ætatis tituli, in quibus passim monita ad viatores egregia habentur, de vita recte instituenda, de frequenti mortis recordatione, & quæ sunt similia: videamus aliquot exempla: in lapide, apud Calarim reperto, in *Novo Muratorii Thesauro* Tom. III. p. MCCCXCVI. 8.

QVI. LEGIS. HVNC. TITVLVM. MORTALEM. TE. ESSE. MEMENTO

in alio ap. eundem *Murator.* p. MCDXXVII. 3. etiam, ap. *Donium* cl. XII. n. XXXIII. p. 400. *Gudium* CCXC. 5. *Bonadam.* T. II. cl. VI. n. X. p. 104.

QVAM. BREBIS.[1] INNOCVIS. VITA. EST. SIC. FATA. DEDERVNT

ap.

1. BREBIS positum est pro BREVIS uti in recentioribus Christianorum titulis haud raro fit, v. omnino lapidem *Murator.* Tom. IV. p. MDCCCXXVI. 5. & MDCCCXLV. 1. nusquam

ap. *Reineſ.* cl. XI. n. 23. *Gud.* CCXXIV. 9.

VIATOR. VIATOR. QVOD. TV. ES. EGO. FVI. QVOD. NVNC. SVM. TV. ERIS.

Similiter ſententia ex *Phædro* petita III. Fab. XVII. eſt ap *Steph. Zamoſium* in *Analectis Lapp. vett. & nonnull. in Dacia antiquit.* Cap. IX. p. 32. (1598. Fol.) *Gruter.* p. DCCCXCVIII. 16. & *Fr. Perucci Pompe Funebri* Lib. III. p. 39.

NISI. VTILE. EST. QVOD. FACIMVS. STVLTA. EST. GLORIA

ap. *Pithœum Epigr. vet.* L. III. part. iii. p. 93. *Gruter.* p. DCLXXVII. 12. MCXXV. 7. & in Ep. *Matthæi Ægyptii* p. 198. *Opuſcul. Fleetwood.* p. 236. *Bonad.* T. II. p. 313.

DECIPIMVR. VOTIS ET. TEMPORE. FALLIMVR. ET. MORS DERIDET. CVRAS. ANXIA. VITA. NIHIL.

ap. *Vulpium* in *Vet. Lat. prof.* Cap. X. p. 147. Tom. VII.

QVI. LEGIT. DISCAT. ESSE. PIVS.

cui

quam enim plura uno in marmore hujus uſus exempla videre memini: in ultimo ſic legitur: LOCVS. BONIFATIE QVEM. COMPARABIT. SE. BIBA. SVB. ILLA. BIRO. CONCIONEM. VT. HOC. SEPVLCRVM. NON. BIOLETVR. vix intelligo niſi ſic legas: *Locus Bonifatiæ, quem comparavit, ſe viva, ſub illa vere conditione, ut hoc ſepulcrum non violetur.* CONCIONEM impoſita compendioſæ ſcripturæ indice lineola – *conditionem* notat: adde quæ habent *Orſato Marmi Eruditi* p. 322. 356. 358. 360. *Falconer.* ad *Inſcr. Athlet.* N. V. p. 121. ed. *Rom.* & de Græcis *Wolf.* diſſ. ad *Hierocl. in Aurea Carm. Pythag.* §. 2. (Lipſ. 1720. 8vo.) & not. ad *Liban. Cent. Epp.* p. 14.

cui convenit fere inſcriptio ſtatuæ Regis Ægyptii Sethonis ap. *Herodot.* Lib. II. Cap. CXLI.

ΕΣ ΕΜΕ ΤΙΣ ʽΟΡΕΩΝ ΕΥΣΕΒΗΣ ΕΣΤΩ

Porro ap. *Torellum Saraynam* Lib. V. *Antiq. Veronæ* p. m. 245. *Pithœum* in *Epigr. vet.* L. III. P. III. p. 94. *Maffejum Muſ. Veron.* p. CLXXII. I. *Bonad.* T. II. p. 257.

VIVITE. FELICES. MONEO. MORS. OMNIBVS. INSTAT EXEMPLVM. A. NOBIS. DISCITE. QVI. LEGITIS.

tandem ap. eundem *Maffejum* in *Antiq. Galliæ ſelectis* Ep. XX. n. XVI. p. 93. ed. Paris.

MORS. NIHIL. EST. VITAM. RESPICE. PERPETVAM

denique agmen claudat Græcum diſtichum ex *Tollio Fortuit.* p. 307. ap. *Bonadam* T. II. p. 516.

ΠΕΤΡΟΣ. ʽΟΔΕ. ΞΕΙΝΟΙΣΙ. ΒΟΑΣΕΤΑΙ. ʽΩΣ. ΑΙΔΑΛΩΣ ΑΣΦΑΛΕΣ. ΑΝΘΡΩΠΟΙΣ. ΟΥΔΕΝ. ΕΝΕΙΜΕ ΤΥΧΑ.

Conf. *Sert. Orſato* in *diſcorſo ſopra un ſepolcro* p. 254. (ed. Patav. 1719. 4to.) eandem quoque cauſſam de Muhamedanis adferunt *Cotovicus* Lib. IV. *Itin. Hieroſ. & Syr.* Cap. XII. p. 462. *Cœmiteria*, inquiens, *juxta vias publicas pleraque poſita ſunt, ut tranſeuntes ſe mortales reminiſcantur, Deumque pro ſalute defunctorum precentur:* & Jonas Korten Reiſe nach dem gelobten Lande Lib. IV. Cap. 4. p. 654. 655. (Halæ 1743. 8vo. ed.) quem *Cotovici* verba ſua dialecto expreſſiſſe diceres. vel ſic tamen hæc ipſa ratio non magni eſt momenti: potuerunt enim homines

æque

æque bene fragilitatis mortalitatisque ſuæ recordari ſepulcris in urbibus conſtitutis, ubi major eſſe celebritas ſolet, ac ſi in viis publicis monumenta offendant: ſic tamen *J. Chryſoſthomus* quoque in elegantiſſima Oratione *de fide & lege* p. m. 156. Tom. VI. Opp. ed. Francof. & ap. *Suicer.* T. II. *Theſ. Eccleſ.* p. 1240. *δια τȣτο ταφοι προ των αγρων, ταφοι προ των πολεων,* (alii *πυλών* malunt) *και πανταχȣ το διδασκαλιον της ἡμων ταπεινωσεως προσκειται; ἱνα συνεχως της ἑαυτων ὑπομιμνησκομεθα ασθενειας.* conf. *Gothofr.* ad *Cod. Theod.* T. III. p. 161. *A: Bergier. de publ. & milit. viis* p. 181. C: aliosque: hinc autem occaſionem ſumſit *Menander* moniti egregii, & Chriſtiano homine digniſſimi, quod eſt inter ejus *Fragmenta* n. CCLVIII. p. 275. ed. *Clerici*:

Ὁταν ειδεναι θελης σεαυτον, ὁσις ει,
Εμβλεψον εις τα μνηματ᾽, ὡς ὁδοιπορεις.
Ενταυθ᾽ ενεσιν οσεα, και κουφη κονις
Ανδρων βασιλεων, και τυραννων, και σοφων,
Και μεγα φρονȣντων επι γενει, και χρημασιν;
Αυτων τε δοξῃ, τωτε καλλει σωματων·
Και ȣδεν αυτων τωνδ᾽ επηρκεσεν χρονον·
Προς ταυθ᾽ ὁρων, γινωσκε σαυτον, ὁσις ει.

—— Tertiam *Iſidorus* addit cauſſam Lib. XV. *Orig.* XI. p. 1201. ed. *Gothofr. prius quisque in domo ſua ſepeliebatur; poſtea vetitum eſt legibus, ne fœtore ipſo* (lego *ipſa*) *corpora viventium inficerentur:* conf. *Faeſ.* ad *Gyraldum de vario ſepel. ritu* p. 707. Tom. I. Opp. & *Cotovicum Itin.* l. c. *in urbibus* inquiens de Muhamedanis, *oppidisve conſpicias nulla* (*ſepulcra*) *cum*

id lege vetitum sit, ne cadaverum foetoribus urbes inficiantur: —— Quartam his jungunt DD. VV. *Gyraldus* lib. cit. Cap. v. ibique *Faes.* p. 739. *Bergier. de viis* Sect. XXXIV. §. 7. p. 181. T. X. *Th. A. R.* conf. *Mag.* ad *Nep. Dion.* p. 291. b. ut scilicet cives, sepulcrorum cura impulsi, belli tempore, eo alacrius, & quasi pro aris & focis depugnaturi, ex urbe erumperent, defensisque majorum sedibus, h. e. sepulcris, hostes in fugam verterent: etiam ut milites, recordatione gloriæ Heroüm istorum, quorum monumenta illustria ante oculos habebant posita, quæque ipsi armis defendebant, incenderentur, ut eodem honoris tramite, vel honesta morte caderent, vel nobilem victoriæ coronam in patriam reportarent: —— Tandem multi huc quoque referunt, ipsos homines in viis publicis sepeliri sua cadavera, sibique monumenta erigi, desiderasse, ut sic æternitatis quodammodo & perpetuæ memoriæ participes fierent: unde in ipsis cipporum titulis vel fata sua, vel virtutes, præclaraque facinora prædicabant: v. *Bergier.* l. c. Sect. XXXIX. *Gutber.* II. *de Jure Manium* XXVI. inprimis vero mutuum & conjugalem amorem: v. exemplum ap. *Bonad.* T. II. *Anthol.* cl. VI. n. ult. p. 140. ex *Murator.* p. MCCCCXLIX. 4. & conf. *Bergier.* l. c. p. 199. *A. M. Lupi ad Epit. S. Severæ* p. 144. *Salvin.* ap. *Gorium* Tom. I. *Inscr. Etrur.* p. 206. & mortis caussam legenti exponebant: v. elegantissimi ingenii virum *J. Broukhus.* ad *Tib.* III. *Eleg.* II. 27. p. 101. & cl. *Burm.* ad *Lotich.* I. *Eleg.* VI. 84. p. 48. & III. *Eleg.* VI. 60. p. 212. Tom. I. Opp. eleganter de sepulcralibus titulis, præter *Bergierium*, differit *Nicolaus* de *Luctu Græc.* Cap. XV. qui tamen monere ex *Ovidio* oblitus est, inscriptiones hasce grandibus sæpe literis scriptas fuisse v. *Trist.* III. III. 72. *Grandibus*

bus in tumuli marmore cæde notis: quæ verba de majori literarum forma A. B. C. oppofita A. B. C non de majufculis A. B. C. diverfis a quotidiano fcribendi ufui deftinatis literis a. b. c. vel *a. b. c.* funt accipienda, ut voluit *Falfterus* Lib. I *Quæft. Rom.* Cap. III. *Quæft.* 3. p. 65. qui argumentum inde fumfit, ut probaret diverfas in fcribendo, ac in publicis marmorum numismatumque monumentis fignandis, literarum formas a Romanis fuiffe adhibitas: quæ fententia quam fit erronea, nemo, *Falfteri* argumenta æquo judicio confiderans, ftatim non perfpicit: fingula nunc examinare non finit propofiti mei ratio: lege, quem pulcre mecum facere nunc demum video, *Chr. G. Schwarzium in mifcell. polit. humanit.* Cap. I. §. XI. p. 22. præterea illæ ipfæ literæ minio interdum illuftrabantur, quo facilius in oculos viatorum incurrerent: v. *Borremanfium Var. Lect.* Cap. IV. p. 32. tum eruditos *Marmorum Taurinenfium* interpretes *Ant. Ricolvium* & *Jo. Pet. Rivautellam* præf. Tom. I. p. XX. de Etrufcis vetuftis eundem morem fecutis agit fenator *Bonarota* in *Explicat. ad Monum. vetufta* §. XVII. p. 37. Tom. II. *Etrur. Regalis:* exempla videbis in lapide, quem ex *Mufeo Kircheri* repetiit *A. M. Lupi* ad *Epit. Severæ* p. 115. n. I. & in alio ap. *Gorium* Tom. I. *Infcr. Etrur.* p. 409. conf. *Salvin.* p 410. in genere ufum titulorum declarat marmor, quod ex eodem *Gorio* T. I. p. 444. repetiit *Murator* p. DCCLVI. inde *Bonada* T. II. cl. VI. n. XLI. p. 131.

HIC. LAPIS. ET. TVTAMEN. ERIT. POST. MORTE[ι]. SEPVLCRI
ET. DABIT. INDICIVM. OBITOS. HIC. ESSE. SEPVLTOS

ι. De omiffione M. finalis v. quæ diximus not. ad *Confp. Marm.* N. V. pag. 12.

junge *Almeloven. Antiq. Sacr. prof.* p. 56. sq. atque hinc fluxit notio vocum *memoriæ* & *μνημεῖον*, quibus sepulcra passim veniunt: v. ὁ πάνυ WESSELINGIVS ad *Itin. Hierosol.* p. 599. *Velserus* ad *pass. S. Afræ* p. 496. Opp. *Meurs. ad Lycophr.* p. 65. ed. Oxon. *Octav. Falconer.* not. ad *Inscr. Athlet.* N. III. p. m. 80. 81. ed. Rom. Ampl. *v. Nispen* de *Sep. viol.* Cap. V. VI. vel sic tamen omnem hunc titulorum carminumque adparatum, ut inanem & supervacuum, risit *Theophrastus Charact. Eth.* XIII. p. 42. ed. *Casaub.* rejecit quoque *Propertius* III. *Eleg.* XIV. 25. ——— præter has aliam adhuc caussam effinxit *Bergierius* l. c. p. 181. quæ ipsos spectat viatores, ut illi, dum ambulationibus in viis publicis extra urbem indulgerent, & sepulcrorum elegantia, & architecturæ deliciis, & remotiorum temporum ritibus, delectari commode possent: a qua etiam sententia non abhorruisse videtur *Lipsius* III. *de Magnit. Rom.* 10. ——— aliam quoque *Morestellus* adfert III. *pomp. feral.* XI. p. 1412. T. XII. *Th. A. R.* prioribus magis probabilem, *ne fortasse licentia illa sepeliendi familiaris delinquendi & occisos occultandi occasionem daret* ——— denique ultimam excogitavit *Velserus*, quæ solos Christianos spectat, *ad pass. S. Afræ* p. 502. Opp. *illi videlicet sepelire cadavera extra urbem maluerunt*, *ut facilius laterent*, *cum cuncta religionis officia in illis peragerent.* Sed & hæc magis speciosa videtur quam vera: uti enim minime negari velim, Christianos sæpissime & diutissime non fugæ solum, sed & habitationis sacrorumque caussa in sepulcris delituisse (vide quæ supra disseruimus Cap. II. §. IIII. pag. 37. & junge *Vossium* disp. XIII. *de resurrect.* p. 404. Tom. I. Opp. *Barth.* XLIV. *Adverf.* 2. & *Zornium* Tom. I. *Bibl. Antiq. Exeget.* part. VII. p. 604. ubi de loco

Paul-

Paullino vexatiſſimo I *Cor.* XV. 29. & baptismo ὑπερ των νεκρων uberius agitur, de quo præter auctores a *J. C. Wolfio* in *Curis philol.* T. III. p. 536. ſqq. citatos, quibus adde **Jon. Korten Reiſe nach den gelobten Lande** Lib. IV. Cap. IV. p. 651. 652. lege cl. *de Rhoer* II. *Fer. Daventr.* XV. p. 202. cujus explicationem equidem omnibus ſoleo præponere) ita inducere in animum non poſſum, Chriſtianos ideo ſepulcra extra urbes ſtruxiſſe, ut opportuniorem occaſionem latitandi in illis haberent: graſſantibus enim gentilium vexationibus, legibus prohibitum erat, ne quis intra urbem cadaver ſepeliret: remotis his turbis, ſub Imperatoribus Chriſtianis, non erat, cur perfugia & latebras quærerent: imo tum ſæpe permiſſa in urbe ſepultura fuit: v. *Leonis Imp. Novellam Conſtitut.* LIII. *Kirchm.* II. 27. *Faeſ.* ad *Gyraldum* p. 739. ſq.

C A P. IIII.

I. *Tranſitus ad ipſum CEPOTAPHIORVM ritum: eorum diviſio in tria genera:* II. *Primum CEPOTAPHIORVM genus. locum ſolis arboribus conſitum etiam* hortum *dici poſſe, contra cel. Vitringæ & Zornii opinionem, probatur: loca Jeſaiæ illuſtrantur* III. *Sepultura ſub arboribus apud Hebræos recepta,* IIII. *& apud Græcos,* V. *etiam apud Romanos.* VI. *Cauſſæ hujus ritus.*

I. More ſepulturæ extra urbes tum ipſa hominum voluntate recepto, tum variis etiam legibus firmato, hic illic haud pauci fuerunt, qui ſpre-

ſpreta communi ſtruendorum in viis publicis monumentorum conſuetudine, maluerunt cadavera ſua in villis prædiisque ſuburbanis, privato delectationis uſui deſtinatis, terræ mandari, atque hinc repeti ſepulcrorum origo debet, quæ CEPOTAPHIA dicuntur: quæ quidem ad tria potiſſimum genera poſſunt referri:

α. CEPOTAPHIA dicuntur ſepulcra ſolis arboribus cincta

β. monumenta ſolis floribus circumdata:

γ. tumuli jucundo tam arborum quam florum ſepimento ornati:

Singula ordine contemplari ratio propoſiti noſtri jubet: nunc de primo genere ſigillatim diſſeremus.

II. Sepulcra ſolis arboribus vel ſuperſtructis vel circumpoſitis conſpicua CEPOTAPHIORVM etiam nomine appellari commode poſſunt: Lucos certe, licet nullis floribus ornatos, interdum etiam κηπους dici, equidem ſemper mihi perſuaſi: locis præcipue variis *Jeſaiæ* motus, qui aliquoties hortorum meminit, in quibus ſacra ſua peregerint gentiles: Cap. I. vs. 29. διοτι αισχυνθησονται απο των ειδωλων αυτων, ἁ αυτοι ηβουλοντο, και ησχυνθησαν επι τοις κηποις, ἁ επεθυμησαν. clarius Cap. LXV. vs. 3. αυτοι θυσιαζυσιν εν τοις κηποις, και θυμιωσιν επι ταις πλινθοις τοις δαιμονιοις, ἁ υκ εϛιν. & forſan Cap. LXVI. 17. οἱ αγνιζομενοι και καθαριζομένοι εις τυς κηπυς κ. τ. λ. Cum autem nusquam de ſacris, a gentibus in horto, proprie ſic dicto, inſtitutis mentionem injectam legere recordarer, κηπυς iſtos de lucis religionum cerimoniis jam ab antiquiſſimo inde tempore deſtinatis (v. *Zornium* Tom. I. *Bibliotb. Antiq.* part. IV. p. 377. ſqq.) intelligendos eſſe cenſebam: conf. *Giovanni Checoſi diſſertaz. ſopra l'antica Idolatria de Bo-*

Boschi Tom. IV. degli *Saggi di Dissertaz. di Cortona* p. 194. qui loca prophetæ ex moribus gentium illustravit, & *Spencerum* II. de *Leg. Hebr.* XVI. Sect. III. §. I. at vero intercedit huic opinioni cel. *Vitringa* in *Comment. in Jesaiam* Tom. I. p. 58. & Tom. II. p. 894. propriam κηπυ notionem servari satius ducens; præcipue cum rivulorum meminerit vates, quales in lucis non fuisse opinatur; quam præcipue sententiam firmare conatus fuit *Zornius* in *Comment. ad Hecat. Abderit.* pag. 164. sqq. ita tamen, ut meæ me nondum pœniteat sententiæ: quod enim de aqua & fontibus urget cel. *Vitringa*, quasi illæ in lucis locum non obtinuerint, id luculentissime profligavit *Checosius* l. c. quod de hortis, ιδιως intellectis, probare *Zornius* voluit. p. 168. sacra in illis a gentibus revera fuisse peracta, fateor locis, quos ille attulit, nondum adduci me potuisse, ut hanc opinionem utcumque amplecterer: *Philostratus* quidem κηπον memorat τυ της αρετης ιερυ, *hortum, qui juxta templum virtutis est*, in *Polemone* Lib. I. *de Vit. Sophist.* Cap. XXV. §. XI. p. 543. ed. Lipf. & in *Marm. Oxon.* Part I. n. XXXVIII. p. 93. ed. *Prideaux*, occurrit ναος τυχης εν φοινικωνι, *templum fortunæ in palmeto*, & κηποι εις τον φοινικωνα, *horti prope*, vel *ad illud palmetum*: ex lapide, quem repetiit *Reinesius* class. II. n. LXIIX. p. 286. sqq. & *Thomasinus* Lib. *de donariis* Cap. XXXIX. p. 876. c. T. XII. *Th. A. R.* præterea l. IX. *Cod. Theod.* tit. XLV. *de his, qui ad Eccles. confug.* l. 4. p. 392. sqq. T. III. templis adjacentia memorantur οικιαι, κηποι, αυλαι, στοαι, cet. *domunculæ, horti, areæ, porticus*: non tamen inde conficere licet, sacra in ipsis hortis fuisse celebrata: peragebantur in templis, quibus adjacebant *horti*: —— Equidem mediam hic ingredi viam malim, & κηπυς interpretari lucos, tam
 fru-

frugiferis, quam magnis opacisque arboribus, amœna aquæ irrigantis variatione conſpicuos & decoros: ſicque haud longe aberit, quin conſentientem habiturus ſim cel. *Vitringam*, pulcre ſimul eruditam *Checoſii* ſententiam amplexus, quam ille copioſe & docte explicuit *Diſſ. cit.* p. 178. ſqq. Manet igitur, loca, arboribus conſita, etiam κηπȣς dici poſſe, præcipue cum & κηποι πολυδενδρεοι occurrant: v. *Budæi Lexicon Græcum* v. & παραδεισοι ſimili ſenſu paſſim terantur: lege omnino *Almeloven. Antiq. Sacr. profan.* p. 13. & conf. *Zornium* Tom. I. *Bibl. Antiq.* p. 381. (ubi, quod obiter obſervo, plane aliam de locis *Jeſaiæ* opinionem faviſſe videtur, quam in notis ad *Hecat. Abderit. ne quid dicam*, inquiens, *hortos pro lucis ſacris accipi Eſaiæ* I. 29. LXV. 2.) ac proin ſervo, κηποταφια etiam dici poſſe ſepulcra arboribus cincta; nunc de ipſo ritu agendum.

III. Hebræos ſepulcra ſua ſub umbris arborum interdum exſtruxiſſe primo probat ſpelunca, quæ dicitur, Machpelæ, ſive Ephronis σπηλαιον: *Geneſ.* XXIII. 17. ὁ ην εν τῳ αγρῳ, και παν δενδρον, ὁ ην εν τῳ αγρῳ, και παν, ὁ εςιν εν τοις ὁριοις αυτȣ κυκλῳ: (*Codex Alexandrinus*: και παν δενδρον, ὁ ην εν τῳ αγρῳ, ὁ εςιν εν πασιν τοις ὁριοις αυτȣ κυκλῳ) —— dein Deboræ ſepultura, ἡ εταφη κατωτερον Βαιθηλ, ὑπο την βαλανον: *Geneſ.* XXXV. 8. conf. *Geyer.* Cap. VI. de *Luctu Hebr.* §. 9. p. 122. ſqq. & cl. *Lampe Diſſert.* Tom. II. p. 618. —— præterea Jebuſitæ ελαβον το σωμα τȣ Σαουλ, και το σωμα Ιωναθαν τȣ ὑιου αυτȣ, - - - και φερȣσιν αυτȣς εις Ιαβιν, και κατακαιȣσιν εκει, και θαπτȣσιν ὑπο την αρȣραν, την εν Ιαβις, και νηςευȣσιν ἑπτα ἡμερας. Lib. I. *Sam.* Cap. ult. vs. 12. & clarius I. Παραλειπ. X. 12. και ηγερθησαν εν Γαλααδ πας ανηρ δυνατος, και ελαβον το σωμα τȣ Σαουλ και το σωμα των ὑιων αυτȣ και ηνεγκαν αυτα εις Ιαβις, και εθαψαν τα οςα αυτων

ὑπο

ὑπο την δρυν εν Ιαβις, και ενηστευσαν ἑπτα ἡμερας. conf. *Nicol.* III. *de S. H.* VIII. 2. p. 156. & III. XV. 14. p. 212.

Nec arbores ſolum ſepulcris adponebant Hebræi, ſed & imagines arborum in ipſis ſepulcris, inque rupibus, in quibus excifa erant ſepulcra, ſculpebant, pingebantque: exempla ſuggerunt *Le Brun Voyage au Levant* p. 268. & *J. AE. Egmond v. d. Nyenburg en Joh. Heyman Reiſen naar Palæſtina* Tom. II. Ep. XL. p. 258. ap. *Eſcuche* in *Obſervationibus de ſepulcris in rupibus exciſis* noviſſime ex Germanorum dialecto in Belgicam verſis inſertisque Tom. II. N. II. *der Nederlandſche Letteroerluſtiging* p. 243. 244. qua de re ita ipſe *Eſcuche* p. 253. *In cippis ſepulcrorum Regiorum ſculptas palmas Le Brun invenit: haud dubie hac re beatam ſuam reſurrectionem adumbrarunt, foreque, ut ipſi e terra ſurgerent, & inſtar palmarum florerent, ſecundum Dei promiſſionem* Pſ. XCII. 13. *juſtus homo creſcet, ut palma* &c. ſed hæc obiter:

IIII. Parem Græcorum morem teſtatur ſepulcrum Clearchi, de quo *Cteſias* in *Perſicis* Cap. LXII. p. 824. ed. WESSELINGII. και το χωμα, inquit, τε Κλεαρχου δι ετων οκτω μεςον εφανη φοινικων, ὁυς ην κρυφα Παρυσατις, καθ' ὁν καιρον εκεινος ἐτελευτησε, δια των ευνυχων καταχωσασα: *Clearchi etiam tumulus octo poſt annis plenus adparuit palmarum, quas Paryſatis ſub tempus mortis ejus clam per Eunuchos aggeſta terra plantari curaverat:* —— & monumentum Erythræ in inſula Tyrina: Ερυθρα χωμα μεγα, αγριοις φοινιξι καταφυτον, ap. *Strabon.* Lib. XVI. p. IIII. T. II. ed. noviſſ. —— talis quoque Chyndonactis ſacerdotis ſepultura in luco Mithræ: argumento marmoris Græci, mendoſiſſimis & obſcuris literarum notis a *Grutero* editi p. MCLIX. 12. ſed dein emendatius

ex-

exſcripti notisque illuſtrati a *Taurello* in *Ep. ad Licetum* inter ejus *Reſponſa de quæſitis per Epp.* ap. *Gaud. Robertum* Tom. II. *Miſcell. Ital Erud.* p. 194. ſqq. conf. omnino *Bern. Montfaucon.* Lib. II. *Palæogr. Græc.* Cap. VII. p. 170. & in *præf.* p. VII. ſqq. *Phil. a Turre*, Epiſcopum Adrienſem, in *Monum. Vet. Antii* diſſ. II. *de Mithra* Cap. V. p. 214. (ed. Rom. primæ 1700.) & *Schurzfleiſchii Acta literaria* p. 98. —— talis etiam Heſiodi, in Locrenſi luco ſepulti teſte *Alcæo* Lib. III. *Anthol.* Cap. XXV. *Epigr.* 17. —— porro Mantiades & Euſtratus in lucis ſepulti memorantur in eadem Græcorum Epigrammatum collectione III. VI. 51. —— de Trojanis paria probant, ſepulcrum Polydori, myrtis conſitum, ap. *Virg.* III. *Æn.* 23. ubi v. *La Cerdam* p. 278. & Memnonis tumulus ap. *Q. Smyrnæum* Lib. II. vs. 586. ſqq. junge *Pauſan.* Lib. X. p. m. 669. conf. *Jablonski* Synt. I. *de Memnone Græcor. & Ægypt.* Cap. IV. §. I. p. 22. & omnino *Rittershuſ.* ad *Oppian.* II. *Cyneg.* 152. p. 57. tum etiam Hectoris monumentum ap. *Virg.* III. *Æn.* 302. & Anchiſæ ibid. v. 760. —— ſpectant & huc exempla Proteſilai ap. *Antiphilum* III. *Anthol. Græc* XIV. 3. Therimachi ap. *Diotimum* ibid. III. XXVII. I. & Ariſtionis ap. *Thyillum* ibid. III. XII. 12. —— etiam *Sophoclis* locus *Oed. Colon.* vs. 1779.

εθανε κοιτανδ' ἐχει
Νερθεν ευσκιαςον αιεν.

—— Denique memorari inſignis *Pauſaniæ* narratio debet, Lib. II. pag. III. de Opheltæ tumulo: ω δε αυτη Νεμειου τȣ Διος ναος εςι θεας αξιος. πλην ὁσον κατερρυηκει τε ὁ οροφος, και αγαλμα ȣδεν ετι ελειπετο. Κυπαρισσων δε αλσος εςι περι τον ναον - - - - ενταυθα

εςι

ἐστι μεν Ὀφελτου ταφος, περι δε αυτον θριγγος λιθων, και ἐντος του περιβολου βωμοι. ἐστι δε χωμα γης, Λυκουργου μνημα, του Ὀφελτου πατρος. integrum locum exſcripſi, quia dein uberius de eo agetur, cum ad ſepulcrorum macerias & θριγγους erit deventum: conf. *Faeſ.* ad *Gyrald.* Tom. I. Opp. p. 741. cui *Pauſaniæ* indicium debeo: pergo ad Romanos:

V. De his idem ſæpe ab aliis jam fuit probatum; clariſſima res eſt ex *Martiale* I. *Epigr.* LXXXIX. ad Alcimum:

Accipe non Pario nutantia pondera ſaxo,
Quæ cineri vanus dat ruitura labor:
Sed fragiles buxos, & opacas palmitis umbras,
Quæque virent lacrymis humida prata meis:

Ubi v. *Pinto Ramirez. de S. Prado* p. 115. ed. *Langii:* ——— Sic & Lib. VI. *Epigr.* LXXVI.

Hic ſitus eſt Fuſcus, licet hoc fortuna fateri,
Non timet hoſtiles JAM LAPIS ille minas.
Grande jugum domita Dacus cervice recepit,
Et famulum victrix poſſidet umbra nemus:

Ubi, quod obiter moneo, depravatum eſt illud *jam lapis:* lego:

Non timet hoſtiles AMPLIUS ille minas:

Fuſcus ſcilicet: ——— Talia & hæc *Statii* v. *Sylv.* III. 50. *Atque utinam fortuna dares* &c. conf. *Salmaſ.* ad *Dedicat. Stat. Regillæ* vs. 49. p. 179. T. II. *Muſei Creniani:* ——— porro facit huc Epitaphium

phium Antullæ, quod vulgo *Martiali* adſcribitur, v. Lib. I. *Epigr.* CXVII. eſt & ανωνυμως ap. *Pithœum* in *Epigr. vet.* L. III. p. 110. n. 3.

Hoc nemus æterno cinerum ſacravit honori
Fenius, & culti jugera pauca ſoli:
Hoc tegitur cito rapta ſuis Antulla ſepulcro,
Hic erit Antullæ mixtus uterque parens:
Si cupit hunc aliquis, moneo, ne ſperet agellum,
Perpetuo dominis ſerviet iſte ſuis.

In quo carmine obſervandum *nemus* hic dici, quod antea *hortum* vel *hortos* nominaverat *Martialis*, in alio, de eadem Antulla, Epigrammate I. 115.

Hos tibi vicinos, Fauſtine, Teleſphorus hortos
Fænius, & breve rus, udaque prata tenet:
Condidit hic natæ cineres nomenque ſacravit,
Quod legis, Antullæ, dignior ipſe legi &c.

Unde conficere licet, etiam Latinis *hortum* de *nemore* dici, & loco arboribus conſito, adeoque CEPOTAPHIVM etiam vocari poſſe iſtud Antullæ ſepulcrum: niſi forſan malueris & prata, & nemus, & hortum, & agellum, huic tumulo fuiſſe addita; quod vix ſit credibile: ſed pergo: —— arboris umbram optavit etiam *Propertius* II. *Eleg.* X. 33. & III. *Eleg.* XIV. 28. ubi v. *Broukhuſ.* —— porro huc refertur *Ciceronis* locus, qui *tumulos* & *lucos* jungit in *Orat. pro Mil.* Cap. XXXI. *vos enim jam Albani tumuli atque luci; vos, inquam, imploro atque obteſtor, vosque Albanorum obrutæ aræ ſacr. p. r. s.* ——

deni-

denique egregie huc Augusti exemplum facit, qui Mausoleo suo sylvas adjecit: conf. *Suet. Aug.* 100. *Strabon.* v. *Geogr.* p. 361. T. II. *Nic. Bergier.* de *viis* p. m. 186. *Marlian.* v. 7. aliosque veteris Romæ Topographos, *Fabricium*, *Donatum*, cet. —— adferrem hic quoque, sed vereor ne male adferam, votum filii in Epitaphio Carmine a *Grutero*, ex *Mazochio*, edito p. DCCXLVIII. 7. & *Murator.* p. MDCCLXIX. 7. est quoque ap. *Pithœum* L. III. *Epigr. vet.* Cap. VII. p. 113. n. 1. & in *Monum. Illustr. Viror.* p. 107. n. 2. ubi vs. 3.

NVMINA.NVNC.INFERNA.PRECOR.PATRI.DATE.LVCOS.

QVIS. EST. PVRPVREVS. PERPETVVSQVE. DIES.

QVOD. CERTE. HIC. MERVIT. &c.

melius enim hæc de statu post mortem Campisque Elysiis sunt accipienda, (ubi arboreta etiam & lucos florere credebant, v. *Bonad.* T. II. *Anthol.* p. 231.) quam quidem de arboribus sepulcro adponendis: hæc de Romanis sufficiant, licet plura addi posse fatear; sed opus id non est: verbum de *Apulejo* addere debeo: an enim ex hoc more explicandus sit locus in *Apologia* ejus I. Segm. XXV. p. 70. ed. *Casaub.* vehementer dubito: auctor Æmiliano, accusatori suo, impietatem exprobraturus, *nullum*, ait, *in villa ejus delubrum situm, nullus locus aut LUCUS consecratus: & quid ego de delubro loquor? negant vidisse se, qui fuere, unum saltem in finibus ejus aut lapidem unctum, aut ramum coronatum: cet.* uti enim verba hæc a nonnullis ita fuerunt intellecta, nominatim *Eschenbachio* diss. de *Consecratis Gentil. Lucis* §. XI. p. 245. T. II. *Synt. diss. philol.* quasi de lucis defuncto ibi sepulto sigillatim sacris

ser-

sermo esset; ita non possum tamen hanc opinionem amplecti, cum dictio *Apuleji* nimis sit communis, & generalior, quam quæ de lucis, peculiari Deo dicatis, accipi non possit, licet in illis nullum ejus Numinis sepulcrum fuerit.

Conveniunt cum his barbarorum mores, etiam hodie vigentes: sed de his agere nostri proprie instituti non est: legi potest cel. *Lampe Programm. in Obitum H. Meyeri* p. 619. *Dissertatt.* ejus Tom. II. ubi de Cimbris, Persis & Mexicanis agit: de Turcis paria probat *Cotovicus* Lib. IV. *Itin.* Cap. XII. p. 463. *alii*, inquiens, *palmis, vel oleis sepulcra circum sepiunt, quarum vesci fructibus ob demortui reverentiam religioni habent:* de incolis Insulæ Ceilonicæ, cadavera in sylvis sepelientibus v. auctores *Historiæ Hodiernæ* Tom. III. P. VI. p. 679.

In genere de hoc more, præter, quos passim adduxi auctores, agunt *Nicol.* III. *de S. H.* X. 5. p. 166. & XIV. 5. p. 194. *de L. C.* XI. 5. p. 66. *La Cerda* ad *Virg.* Ecl. IX. 60. p. 170. VI. *Æn.* 673. p. 706. *DD. VV.* ad *Petron. Satyr.* Cap. LXXI. p. 353. ed. *Burm.*.

VI. Caussæ hujus ritus, ut solet, variæ a variis fuerunt excogitatæ: de Lucis in genere, rejectis aliorum inventis, equidem eorum sententiam cupidissime amplector, qui censent, lucos ideo sepulcris adjectos a gentibus fuisse, ut in illis Divorum Manium tuta & tranquilla sedes foret, cui accessit superstitio, qua illic haud raro etiam divinis honoribus, Heröum & Divorum nomine mactabantur: eleganter hanc opinionem explicuit *Spencerus* Lib. II. *de Leg. Heb. ritual* Cap. XVI. Sect. III. §. I. p. 370. ed. Hag. *e jam dictis*, inquiens, *adparet ratio, cur Israëlitæ τοῖς Baalim & lucis una servire solerent: Judic. III.* 7. 2 *Reg. XVII.* 16.

Quod

quod nempe Luci τῶν *Banlim i. e. heroum sepulcra essent, & eorum manes in lucis iis vagari eosque præsentia sua consecrare crederentur. Ideoque luci in ejusdem cultus & honoris societatem cum ipsis Heroïbus venire non indigni censebantur. Hinc etiam adsequi liceat, cur Luci e cupressis non raro constarent; quod nempe cupressus arbor feralis esset, & longo usu mortuorum cerimoniis pene consecrata.* Cum *Spencero* facit *Eschenbachius* l. c. p. 244. nec abhorret *Faes.* ad *Gyrald.* p. 741. & sane si consideres, non solum communi Deorum cultui consecratos a gentibus lucos fuisse, 1. sed etiam nominatim Heroum animis defunctorumque manibus colendis inserviisse, 2. non est, cur hanc caussam sequi recuses; ideo scilicet structa in lucis sepulcra fuisse, ut in illis mortuorum manibus sacra fierent.

Speciatim in hunc usum cur adhibiti fuerint *cupressi*, docuit *Spencerus* l. c. *Quoniam* scilicet *arbor illa feralis esset*; & vere docuit: conf. *Serv.* ad III. *Æn* p. 274 D. *Fr. Perucci Pompe Funebri di tutte le nationi del mondo* Lib. II. p. 25. (Veronæ 1646.) & Cel. *Lampe* dissert: *de cupressu* p. 585. sq. T. I. *dissertatt.* ed. *Gerdesii:* — de reliquis audiamus *Ramirez. de S. Prado* in *Hypomnem. ad Martial.* p. 115. B. *perspicue colligitur, seri solitas has arbores, quod felicibus perpetuas manibus & virentes arbores* *con-*

1. Conf. quæ præter *Checosium*, *Eschenbachium*, *Spencerum*, cet. adduxerunt *Zornius* Tom. I. *Bibl. Antiq.* part. IV. p. 376. sqq. & ad. *Hecat. Abderit.* p. 164. *Schliebter.* *Dec. sacr.* Obs. III. §. V. p. 49. *KeysleRus Antiq. Sept. & Celt.* Sect. I. Cap. IV. §. VII. p. 59. sqq. Ill. *Spanhemius* ad *Callim. H. in Pallad.* 61. p. 674. in *Dian.* 38. p. 195.

2. v. *Serv.* ad *Virg. Ecl.* V. p. 27. A. *Æn.* I. p. 207. C. VI. p. 452. B. ed. *Pet. Dan.* conf. *L. Beger. Spicil. Antiq.* Sect 2. n. VI. p. 32.

E

convenire existumabant; *ideo eligebant buxos*, *cypressos*, *laurus*, *quæ numquam amittunt folia*: — de *palmis* emblematice etiam loquentem *Escuchium* audivimus supra Cap. IIII. §. III. p. 59. —— porro *Ilices* & *Quercus*, ob altitudinem, dignitatem quandam & magnificentiam præ se ferunt, adeoque in illustribus virorum principum sepulturis, additas monumentis fuisse crediderim: conf. obiter *La Cerda* ad XI. *Æn.* 851. & *Nicol. de S. H.* p. 212. tumulorum altitudine & ostentatione quantopere olim homines delectati fuerint, docet *Heraldus* ad *Martial.* VIII. LXXV. 10. p. 81. ed. *Langii*; unde ingentes terræ lapidumque cumulos illis haud raro imponebant, præsertim antiquissimo tempore [1]: quamvis fatear, alia sæpe de caussa hos saxorum terræque cumulos sepulcris fuisse impositos: ne scilicet cadavera a feris possent erui & laniari; quod, si levi modo cespite fuissent tecta, facili negotio poterat evenire: [2] uti de hodierno Ara-

1. Conf. supra Cap. III. §. I. p. 30. sq. adde *M. Gargon Walcherſche Arcadia* Tom. I. p. 50. sqq. qui ex hoc more explicat colles illos, & elevatiores terræ cumulos, haud raro gramine, nonnunquam etiam arboribus consitos, quos passim in agris Zelandiæ etiam hodie videre est: eosque sepulcris & cadaveribus suorum imposuisse antiquissimos Bataviæ incolas censet: quod quo jure fiat, nunc non disputabimus:

2. Respicit huc *Ammianus*, Græcus Poëta, *Anthol.* Lib. II. Cap. XLIII. Epigr. I. votum solemne S. T. T. L. *sit tibi terra levis*, invertens in damnum defuncti:

Ειη σοι κατα γης κουφη κονις, οικτρε Νεαρχε,
Οφρα σε ῥηιδιως εξερυσωσι κυνες.

Terra levis cineri tibi sit, miserande Nearche,
Ne tua non possint eruere ossa canes.

ut fere vertit *Martialis* IX. 29. observante *Jo. Pottero Archæolog. Græcæ* Lib. IV. Cap. VII. p. 184. Tom. II. (ed. Venet. 1734. 4to.)

Arabum more ſcite obſervat *M. de la Roque Voyage dans la Palæſtine* Cap. XXIII. p. 258. —— de Chriſtianis, varia arborum genera ſepulcris non tam imponentibus, quam quidem inſculpentibus, myſticoque ejus rei ſenſu, copioſe agit *Aringhus* Lib. VI. *Romæ Subterraneæ* Cap. XLI. p. 338 — 352. T. II. ed. Colon. quem fere in compendium miſit *Bonada* diſſ. X. *de luctu Chriſt.* §. XIV. p. 470. *Anthol. Inſcr.* Tom. II.

C A P. V.

I. *Alterum* CEPOTAPHIORVM *genus explicatur:* II. *Mos flores & roſeta circum ſepulcra plantandi apud Hebræos non obtinuit:* III. *Sed apud Græcos* IIII. *& Romanos:* V. *Hebræi an floribus ſepulcra ſparſerint, disquiritur:* VI. *Ritus* φυλλοβολιας *&* ανθοβολιας *apud Græcos receptus:* VII. *etiam apud Romanos: notantur Paſchalius & Elmenborſtius: explicantur Plutarchus, Livius, & Dionyſ. Halicarnaſſenſis:* VIII. στεφανοβολια, *ſive coronarum ſparſio, in ſepulcris a gentibus obſervata:* VIIII. *dein a quibusdam etiam Chriſtianis uſu ſervata, ab aliis damnata:* X. *Media, quibus uſi homines fuere, ut hac coronatione poſt mortem honorarentur: ac primum de* coronariis, *ſeu coronarum inſtitoribus &* στεφανοπλοκοις: XI. *porro ſervorum explicatur ratio, qui ſepulcris adponebantur, ut ea ſtato tempore floribus ornarent, eo-*

rumque tabernæ & ædiculæ: quæritur, an illi in ipsis etiam sepulcris habitaverint? XII. *mos pecuniam legandi, ex cujus reditu flores tumulis injicerentur.* XIII. *dein* horti *etiam eadem de caussa sepulcris adjiciebantur:* XIIII. *tandem flores etiam cippis insculpebant pauperiores, vel viatores de injiciendo flore in titulis monebant:* XV. *Caussæ, quibus impulsi fuerint homines, ut tantopere hanc florum coronarumque injectionem expeterent:*

I. Alterum Cepotaphiorum genus faciunt sepulcra floribus, præcipue rosis, circumplantatis ornata; cui non potui non ritum ἀνθοβολίας & στεφανοβολίας comitem addere; quamvis enim sepulcrum, floribus coronisque injectis insigne, ἰδίως non possit dici in *horto* esse situm, quia tamen illa ipsa florum injectio speciem quandam *horti* præ se ferre judicari possit, nolui etiam hunc ritum prætermittere, in primis, quod inde pulcram mihi subnasci occasionem viderem, nonnulla de ritibus quibusdam memorabilibus, sed vulgo non satis explicitis, disputandi; uti de *coronariis* veterum, de *servis* sepulcrorum *custodibus*, eorumque *tabernis*, & quæ sunt hujus generis alia: nunc primum de floribus & rosetis, sepulcris adponi solitis, differendum est:

Jucundum ejusmodi florum sepimentum in genere περίβολον dicitur: & recte quidem: quantumvis enim hæc vox sæpiuscule de templorum porticibus adhiberi soleat, vide omnino *P. Zornium* not. ad *Comment.* ad *Hecat. Abderit.* p. 104. haud raro tamen ad alia etiam qualiacunque transfertur, in-

di-

dicatque generatim omne id, quod aliquid incingit & circumdat: παν, ὁ τι περιβαλλει· conf. cel. *Valckenaerium*, egregium hoc tempore Græcarum literarum vindicem, ad *Eurip. Phœniss.* vs. 1085. p. 384. ac proin recte forsan *Jac. Sponius* Tom. III. *Voyage d'Italie* cet. p. 119. (ed. meæ Lugdunensis) illa inscriptionis Thyatirenæ: εν τω χαλδαιꙋ περιβολῳ, reddidit: *dans le Jardin du Chaldeën: in horto Chaldæi:* licet aliter velit cel *Perizonius* ad *Ælian.* XII. 35. conf. *Leichii Nov. Emend. ad Inscr. Græc. Murat.* post *Sepulcralia Carmina ex Anthologia Græca MS.* ab ipso edita p. 73. —— Interim hinc non sequitur, semper notionem *horti* vocem περιβολον admittere: quod male opinatus fuisse videtur idem *Sponius*, ut qui marmor a se in *Miscell. Erud. Antiq.* Sect. X. n. CXI. p. 363. sq. editum, dein a *Muratorio* p. CXXXVII. I. repetitum, illustrans, bis vocem περιβολον per *hortum* vertit, recte propterea ab Illustri *Maffejo* notatus in *Museo Veronensi* p. XL. junge sis, quæ de hac voce erudite congessit *Salmasius* ad *Consecr. Templi in agro Herod.* p. m. 103. sqq. Tom. II. *Musei Creniani:* alia habet egregius *Codicis Theodosii* enarrator T. III. p. 401. & 447. ed. nov. Speciatim vero tale rosetum aliorumve florum sepimentum etiam *hortum*, κηπον, dici posse, haud facile quis cum ratione negaverit, considerato etiam hodierno loquendi usu; ac proin CEPOTAPHIA commode quoque dici sepulcra solis floribus circumdata, haud difficulter me impetraturum confido: videamus ipsum ritum:

II. Hebræos ejusmodi, de quibus nunc loquimur, CEPOTAPHIA habuisse, nondum equidem diserto testimonio probare possum: interim uti φυλλοβολιαν quoque & ανθοβολιαν usu apud illos receptam fuisse, tuto adferi nequit, quod §. v. p. 72. ad-

parebit, ita flores & roſaria ſepulcris ab his circumpoſita fuiſſe, inficiari nemo poteſt; ſic tamen, ut acceſſerint etiam arbores, gramen, aliaque, ad κηπον, proprie ſic dictum, pertinentia: atque adeo hæc Hebræorum ſepulcra ad tertium Cepotaphiorum genus referri debent, de quo ſequenti Capite VI. diſputabitur.

III. De Græcis major nobis hac in re ασφαλεια: Talis enim ſepultura Dorconis ap. *Longum* Lib. I. *Paſtoral.* p. 26. ubi Daphnis & Chlöe ελθοντες μετα των προσηκοντων, Δορκωνα θαπτυσι τον αθλιον· γην μεν ουν πολλαν επεθεσαν, φυτα δε ἡμερα πολλα εφυτευσαν, και εξηρτησαν αυτῳ των εργων απαρχην· conf. quæ illic adlevit *Pet. Mol* in *Animadv.* p. 33. ——— ſic & terram ſponte flores produxiſſe circa ſepulcra juvenum illorum, quos Oenomaus interfecerat, narrat *Philoſtratus* Lib. I. *Icon.* XXVII. p. 789. ——— ſimilia habentur in duobus Epitaphiis carminibus in *Sophoclem* Lib. III. *Anthol.* Cap. XXV. n. 39. & 40. & in *Anacreontem* ibid. n. 46. & 48. ——— Uti autem reliqui homines roſas floresque ſepulcris addi deſiderabant, ſic contra Timonis μισανθρωπου tumulum vepres ſentesque cingere eleganter finguntur ab *Hegeſippo* L. III. *Anthol.* VII. 12.

Οξειαι παντη περι τον ταφον εισιν ακανθαι,
Και σκολοπες· βλαψεις τυς ποδας, ην προσιης.
Τιμων μισανθρωπος ενοικεω·

conf. ibid. n. 12. vehementer tamen has ipſas ſentes & rubos alii homines oderunt, uti dein §. VI. p. 76. in φυλλοβολια docebimus. nunc adfero tantum *Leonidæ* Epigramma in Alcimenem III. *Anthol.* V. 36.

. . . . . .

Ει και παν κεκρυπται ὑπ' οξειης παλιυρυ,

Και βαθυ· ην ποτ' εγω δηιος Αλκιμενης·

IIII. Romanos rofetis aliisque floribus fepulcra fua cinxiffe, cum non adeo clare fcripti auctorum libri doceant, ad literata hic iterum marmora confugiendum nobis eft. Sic ap. *Buonaroti Offervaz. fopra i vafi di vetro* Tab. XXVIII. fig. 2. p. 189. *Fabrett.* Cap. III. n. 594. p. 223. *Murator.* T. III. p. MCCCLXVI. 9.

Lictoriæ. Chærufæ. vixit. annis. XV
Menfibus. VII. diebus. V. fecer. L. Veturius. Pudens
Vir. & Larcia. Aucta. mater. huic. monimento
Cedit. rofarium. cum. viniola. fola. fuo. fine. viniæ
Et. e. region. pifcinæ. &. canalis. usque. ad. ariam
Et. areacum. edificis. &. borreo. &. ciflernæ. in
Solar. & e.regione.eius.usque.at.arundinetum.cum. itin.
Quæ. funt. determinata. &. collige. iug

forfan & huc fpectat monumentum Flaviæ Nicopolis ap. *Gruter.* p. MCLV. 9. *Reinef.* cl. XVII. n. 176. *Fabrett.* Cap. II. p. 69. n. 34. *Bonad.* cl. IX. n. LVI. p. 404. T. II. *Anthol. Infcr.* cujus pars ultima fic habet, lacera tamen, unde vix quidpiam exfculpas certi:

O. mihi. fi. fuperi. vellent. præftare. roganti
Vel. rofeo. vel. purpureo. violæque. nitore

 Ut.

Ut. ave. præteriens. greſſu. tardante. viator
Viderit. hos. flores. titulum. legat. &. ſibi. dicat
Hoc. flos. eſt. corpus. Flaviæ. Nicopolis.
Ut. tuo. de. tumulo. flos. ego. cernere. novum
Creſcere. vel. viridi. ramo. vel. flore. amaranti

tandem neſcio an hinc forſan *Q. Aſtorius* dicatur *in flore cubare* in Epigraphe ap. *Pithœum* L. III. *Epigr. vet.* part. IX. n. 3. p. 115. *Don.* cl. XVIII. n. 10. p. 459. *Murat.* MCDXXXIII. 5. *Bonad.* T. II. 412. —— Denique poſſis huc trahere *viridaria* illa, quorum ap. *Fabrettum* aliosque occurrit mentio, ſed hæc tamen ad ſequens Caput ſextum malim differre: nunc moneo ſolum, roſaria floresque iſtos ſepulcris ea præcipue de cauſſa fuiſſe adjectos, ut ex iis decerpti flores tumulis poſſent injici: quo honoris, ut credebant, genere quanto opere delectatæ olim gentes fuerint, nunc demonſtrandum reſtat: tranſeo igitur ad φυλλοβολίαν, ſive ἀνθοβολίαν, quæ eſt *florum ſparſio.*

V. Hebræos monumentis ſuorum flores injicere interdum ſolitos fuiſſe, olim quidem nonnulli crediderunt, in primis *Corn. a Lapide* & *Menochius* Lib. VIII. *de Rep. Hebræor.* Cap. V. Quæſt. VII. p. 773. argumento *Jeremiæ* XLVIII. 9. enimvero malam hujus loci interpretationem fraudi ipſis fuiſſe, docuit *Geyerus* in eleganti libello *de Luctu Hebr.* Cap. VI. §. 18. p. 157. ſq. quem exſcripſit *Faeſ.* ad *Gyrald.* p. 741.

VI. De Græcis certiora habeo, quæ pollicear: Sic in genere Cadmei dicuntur Amphitruonis ſepulcrum floribus ſpargere ap. *Pindarum Nemeonic.* Od. IV. Epod. I. p. 358. ed. *Steph.*

Ὄνεκ

'Ουνεκ 'Αμφιτρυωνος
Αγλαον παρα τυμβον
Καδμειοι νιν ϗκ αεκον-
τες ανθεσι μιγνυον
Αιγινας ἑκατι . . .

hinc illud votum: Ανθεα πολλα γενοιτο νεοδμητω επι τυμβω, in lapide Nemaufenfi, quem mox dabimus: Speciatim vero *rofæ* fpargebantur: exemplum eft in Epiftola ερωτικη Petales ad Simalionem ap. *Alciphron.* Lib. I. Ep. xxxvi. p. 162. fq. ed. Lipf. εγω δε ἡ ταλαινα θρηνωδον, ϗκ ερασην, εχω, στεφανια μοι και ροδα, ὡσπερ αωρω ταφω, πεμπει. ubi v. *Bergleri* notam: fic etiam: περι σου παντα γενοιτο ροδα, in lapide modo laudato: nolim tamen huc *Anacreontem* trahi qui *Oda in rofam* p. m. 100. ed. Lond.

Το δε και νοσϗσιν αρκει,
Το δε και ΝΕΚΡΟΙΣ αμυνει.

Quæ ad fepulcra nullo modo poffunt referri, fed vel cum *Baxtero* not. ad h. l. de rofis intelligenda funt, quæ cadaveribus infperguntur, ut ea a graveolenti odore confervent, vel cum aliis de φυλλοβολια, feu ανθοβολια, funt accipienda, ante fepulturam peragi folita: de qua *Kirchm.* I. II. *Nicol. de L. G.* Cap. VII. p. 76. fqq. *Pafchal.* IV. *de Coronis* 5. aliique; quare autem fpeciatim rofarum in his fuerit ufus, docet *Octav. Rubeus* (vulgo *Roffi* dictus) in *Monum. Brixiæ* p. 58. Tom. IV. *Thef. Antiq. Ital.* part. II. *fane vero* inquiens *non fine ratione rofæ mortuis conveniunt, quoniam (ut recte expreffit Cardinalis Mediceus, qui poftea fuit Pontifex* no-

nomine Leonis undecimi) vita viri fœminæque nobilis non aliam poteſt, quam roſæ, comparationem habere, quæ unico die feliciſſime naſcitur, & languidiſſime evaneſcit, neque tamen venuſtatem ſuam perdit reſpectu inmortalitatis, quæ omnia ſuperat mortalia, ſed multa felicitate conſervatur in conſecrata virtute odorum: paria fere his *Bonada* habet diff. VI. §. XVII. p. 63. ſq. *Anthol.* T. II. malim tamen ab inveterata illa opinione repetere, qua non his ſolum temporibus, ſed & olim apud gentiles, felicitatis ſigna & εμβληματα roſæ habebantur: unde *in roſis & floribus vivere:* de jucundiſſima vitæ conditione: docente *Barthio* Lib. XXXII. *Adverſar.* XXI. p. 1499. alia dabit *Jo. Simonis Onomaſt. N. T.* Sect. II. p. 130. v. Ῥοδη. poſſis etiam gratiſſimum roſæ odorem cauſſari, qualem impenſiſſime deſiderabant: hinc *odoribus ſepulcra ſpargere*, ſæpiſſime: quomodo in lapide ap. *Murator.* Tom. I. p. DXL. 2. & *Bonad.* Tom. I. p. 337. NINNIVS. ET. CINEREM. SPARGIT. ODORE. GEMENS. Sic *odorati flores* ap. *Statium* notanter III. *Sylvar.* III. 211. & *bene olentia ſerta* in *Copa* p. 94. *Catalectorum Scaligeri:* hinc & *myrrhæ* uſus in funere: v. *Weitzium* ad *Prudent* X. *Cathemer.* LI. p. 570. DD. VV. ad *Minut. Felic.* Cap. XII. p. 124.

Purpureis floribus patris tumulum ornat *Æneas* ap. *Virg.* V. 79. quod *ad ſanguinis imitationem in quo ſedes eſt animæ*, factum docet *Servius* p. 379. F. ed. *Pet. Dan.* & certe purpureus color aliquam cum morte convenientiam habere jam olim cenſebatur: *Artemidorus:* εχει γαρ τινα το πορφυρυν χρωμα συμπαθειαν και προς τον θανατον Lib. I. *Oneirocrit.* Cap. LXXIX. p. m. 66. lege *Licetum* Lib. VI. *de recond. antiq. Lucern.* Cap. XXII.

Apio hac etiam in re ſuum fuiſſe uſum conſtat

ex

ex *Suida* & *Hefychio* v. σέλινον. junge *Plutarchum* Tom. I. p. 248. D. *Schotti Proverbia Græca* p. 255. 310. 529. *Polyæn.* v. *Strateg.* XII. p. 587. ed. *Maesvicii: Diod. Sic.* Lib. XVI. p. 143. T. II. & quæ habet cel. *Burm.* ad *H. Valef.* II. *Emend.* III. p. 50. 51. *Rigalt.* not. ad *Artemidor.* I. LXXIX. p. 40. nihilo tamen minus falfus fuit *Jo. Bapt. Pius*, qui *Adnot. poft.* CXV. p. 515. Tom. I. *Th. Crit.* in eam fe defcendiffe opinionem ait, ut folo *apio* coronata olim fepulcra fuiffe crederet: ac proin recte a *Magio* fuit notatus II. *Mifcell.* XII. p. 1346. T. II. *Th. Crit.* quem probat elegantiffimus *Broukhuf.* ad *Tibull.* II. 4. p. 248.

Liliis ornata a Græcis fepulcra fuiffe probat votum *Diofcoridis* Lib. III. *Anthol.* VI. 56. Βαλλεθ' ὑπερ τυμβε πολια κρινα. . . . .

Præterea *Potho* utebantur, ut clariffime docet *Athenæus* Lib. XV. *Deipnofoph.* p. 679. C. D. ubi v. *Dalechamp.* p. 807. & *Pafchal.* II. *de Coron.* XIV. p. 120. Conf. *Plin.* XXI. *H. N.* XI. ——— & *B. Caryophilum Differtt. Mifcell.* Part. I. p. 289.

Porro *hyacinthos* etiam fparfos fuiffe probabile fit, licet difertum auctoris teftimonium non habeam, quo de Græcis tueri id poffim: notum eft lamentabiles huic flori literas infcriptas effe, unde eleganter *Mofchus* in mellitiffimo illo *Bionis Epitaphio* vs. 6.

Νυν ὑακινθε λαλει τα σα γραμματα, και πλεον αι αἰ
Βαμβαλε σοις πεταλοισι . . . .

ubi v. cel. *Valckenaer.* not. p. 83. 84. poft *Urfini Collat. Virgil.* conf. *Nicol.* Cap. XVII. *de L. G.* p. 258. fqq. nec male proin luctui & fepulcris hic flos convenit: præterea de Romanis certa res eft, uti mox ex *Propertio* docebimus:

Deinde *myrtos* etiam in hunc ufum vocatas fuiffe pa-

palam facit *Electra*, quæ apud *Euripidem* de negatis patri honoribus hæc inter alia queritur, in *Electra* vs. 323. ſqq.

Αγαμεμνονος δε τυμβος ητιμασμενος
Ουπωποτ᾽ ου χοας, ουδε κλωνα μυρσινης
Ελαβε, πυρα δε χερσος αγλαισματων

Tandem *violas*, *amaracos* & *narciſſos* adhibitos fuiſſe, docet marmor Nemauſenſe, mox exhibendum, in quo vs. 3. memorantur ΙΑ και ΣΑΜΨΟΥΧΑ και ὑδατινη ΝΑΡΚΙΣΣΟΣ.

Uti autem ſupra vidimus p. 70. 71. rubos ſenteſque nusquam circa ſepulcra locum habuiſſe, certe habere non debuiſſe, præterquam apud tumulum *Timonis*, ita in φυλλοβολιᾳ quoque noluerunt Græci ſpinas, aliaque id genus καθαρματα, monumentis ſuis injici, ſæpeque adeo in titulis ſepulcralibus deteſtati hanc rem fuerunt: poſſis huc trahere illud *Philodemi:*

Φυε κατα ϛηλης ἱερῃ κονι, τῃ Φιλοβακχῳ,
Μη βατον, αλλ᾽ απαλας λευκοιων καλυκας.

Lib. III. *Anthol.* XII. XI. 7. melius tamen ad flores circa tumulos creſcentes referas: magis huc ſpectat marmor Nemauſenſe Græco Latinum egregium, cujus jam toties mentionem fecimus, ſæpe a variis editum, uti *Sallengrio* præf. *Nov. Theſ. Antiq.* Tom. I. p. VII. *Maffej. Antiq Gall.* Ep. XI. p. 55. ed. Pariſ. & *Muſ. Veron.* p. CCCCXIV. 6. *Murator.* Tom. I. *Nov. Th. Inſcr.* p. DXL. 1. & in *Diſſertaz. ſopra l'aſcia Sepolcrale* Tom. II. degli *Saggi di Diſſertazioni di Cortona* p. 146. *Bonad.* T. II. p. 246. *Blaſ. Caryopbilo* diſſ. de דודאים p. 290. *Diſſert. Miſcell.* Part. I. (Romæ 1718. 4to.)

D. M.

D. M.
C. VIBI. LICINIANI
V. ANN. XVI. M. XVI.
C. VIBIVS
AGATHOPVS. ET
LICINIA. NOMAS
FIL. OPTIMO. PIISSIM

ΑΝΘΕΑ. ΠΟΛΛΑ. ΓΕΝΟΙΤΟ. [1] ΝΕΟΔΜΗΤΩι. ΕΠΙ. ΤΥΜΒΩι
ΜΗ. ΒΑΤΟΣ. ΑΥΧΜΗΡΗ. ΜΗ. ΚΑΚΟΝ. ΑΝΤΙΠΥΡΟΝ
ΑΛΛ'. ΙΑ. ΚΑΙ. [2] ΣΑΜΨΟΥΧΑ. ΚΑΙ. ῾ΥΔΑΤΙΝΗ. ΝΑΡΚΙΣΣΟΣ
ΟΥΕΙΒΙΕ. ΚΑΙ. ΠΕΡΙ. ΣΟΥ. ΠΑΝΤΑ. ΓΕΝΟΙΤΟ. ΡΟΔΑ.

Liquet ex his, quantopere Græci florum ſparſioni ſtuduerint, aliter tamen *Lucianus*, qui more ſuo & hunc ritum acriter perſtrinxit in *Nigrino* §. xxx. p. 72. Tom. I. *Opp.* ed. nov. ενιοι δε, inquiens, και στεφειν τας στηλας ανθεσι, ευηθεις ετι και παρα την τελευτην διαμενοντες· *nonnulli cippos etiam ſuos floribus volunt coronari, ſtolidi etiam poſt mortem manentes.*

VII. Relicta Græcia Romam nos conferamus: illic certe haud minor in conquirendis undecunque floribus diligentia, quos ſepulcris inſpergere fatagunt:

1. ΝΕΟΔΜΗΤΩ.] *Muratorius* male νεοδμηῳ: nec melius *Bonada* νεοδμηνιῳ: peſſime vero in *Itinerario* quodam *Gallico* *Neodmet* vertebatur, quaſi nomen viri proprium eſſet, teſte Ill. *Maffejo*:

2. ΣΑΜΨΟΥΧΑ] Διοκλης εν τῳ περι θανασιμων φαρμακων αμαρακον φασιν, ὁ σαμψυχον τινες καλουσιν· *Athenæus* XV. p. 681. B. eſt & hæc vox in fragm. *Nicandri* ap. eund. *Athenæum* p. 684. B.

gunt: rem in tranſitu, & velut aliud agendo, docuit *Varro* VI. L. L. p. 50. ed. *Gothofr. itaque cum ad ſepulcrum ferunt frondes atque flores, addunt nunc lanas*: conſentiunt quoque hiſtoriarum teſtimonia: antiquiſſimum eſt, quod de Numa *Plutarchus* habet Tom. I. *Opp.* p. 74. B. hunc certe locum intendiſſe videntur *Paſchalius* IV. *de Coron.* VI. p. 221. & qui eum diligentiſſime exſcripſit *Nicol. de Luctu Græc.* Cap. XVII. p. 254. vereor tamen, ut huc pertineat iſte locus: videamus ipſa auctoris verba: ζηλωτον δε αυτȣ και τῳ ταφῳ τον βιον εποιησαν οἱ συμμαχοι, και φιλοι δημοι, συνελθοντες επι τας ΤΑΦΑΣ ἁμα δημοσιαις επιφοραις και ϛεφανοις. Ὁι τε πατρικιοι το λεχος αραμενοι κ. λ. ſic certe in ed. *Francof.* legitur: ταφαι, unde τας ταφας, (nam in hoc vocabulo tota diſputatio vertitur) *exſequias* & *elationem funeris* notant, nusquam, quod memini, *ſepulcrum* ipſum indicant: ut adeo non ejus tumulum coronis amici populi ornaverint, ſed coronatos ad exſequias celebrandas eos acceſſiſſe cenſendum ſit: & ſi vel maxime edd. τον ταφον oſtentarent, quod vix crediderim, male tum *Plutarchi* ſe narratio haberet, certe parum curata videri poſſet: nec enim conſperſionem ſepulcri ante memorare debebat, quam de ſublato a ſenatoribus lecto narraſſet, quod tamen mox ſequitur: nec proin hujus auctoris meminiſſem, niſi eum *Paſchalius* pro ſuo adſerto adduxiſſet: interim recte *Plutarchi* locum & ex mea ſententia, intellexiſſe video *Thomaſum Porcacchium Funerali antichi di diverſi popoli* Tab. III. p. 12. *Plutarco* inquit, *nella vita di Numa, ſcrive ch' eſſendo morto Numa Pompilio, concorſero i popoli amici e confederati di lui CON CORONE a fargli l'eſſequie: CON CORONE, CVM CORONIS illi exſequias feciſſe* idem eſt ac *CORONATOS*: Haud meliora ſunt,

ſunt, quæ de narratione *Liviana* pollicear, qui Lib. vii. Cap. 6. de *M. Curtio*, refert, *ipſum equo - - - - inſidentem, armatum ſe in ſpecum inmiſiſſe, donaque ac fruges ſuper eum a multitudine virorum ac mulierum congeſtas:* vix enim inducere in animum poſſum, exſequias hoc modo a Romanis Curtio celebratas fuiſſe, uti cenſuit *Elmenhorſtius* ad *Minut. Octav.* Cap. xii. p. 125. ed *Gronov.* malim intelligi de ſacrificio Diis inferis peracto, ut illi morte generoſi juvenis placati, iram, quam contra Romanos concepiſſe videbantur, deponentes, voraginem clauderent, tetramque inde ſubortam luem amoliri vellent: —— paria denique de loco *Dionyſii Halicarn.* dicere habeo, quem idem adduxit *Elmenhorſtius:* hic Lib. xi. *Archæol. Rom.* p. 719. de Virginiæ exſequiis: ἐξεπηδων γαρ, inquit, ἐκ των οικιων γυναικες - - - - αἱ μεν ανθη και ςεφανυς βαλλεσαι κατα της ΚΛΙΝΗΣ, αἱ δε κ.τ.λ. vides difertam κλινης mentionem, hoc eſt, *lecti* ſeu *lecticæ*, cui cadavererat impoſitum, non *ſepulcri:* paullo diligentius hæc excuſſi, ut videat Lector, quid præſtet, ſuomet ipſius judicio uti, quam aliorum citationes & probationes cœco ductu ſequi: melius vero Catilinæ exemplum huc trahas, cujus *ſepulcrum floribus ornatum hominum audaciſſimorum ac domeſticorum conventu, epuliſque celebratum eſt;* ut ait *Cic. pro L. Flacco* Cap. xxxiii. —— Sic etiam *non defuerunt, qui per longum tempus vernis æſtivisque floribus ſepulcrum Neronis ornarent:* teſte *Sueton. Ner.* lvii. 3. —— Paridis hiſtrionis ſepulcrum a non nullis ſparſum floribus fuiſſe, narrat *Dio Caſſius* in *Excerptis Xiphilini* Tom. II. p. 1102. ed nov. —— porro M. Aurelium Imp. *tantum honoris magiſtris ſuis detuliſſe, ut eorum ſepulcra additis hoſtiis & floribus ſemper ornaret*, refert *Jul. Ca-*

Capitolinus in *M. Aurelio* Cap. III. p. 298. Tom. I. *Script. Hist. Aug.* ed. Lugd. —— sic & Caracalla tumulum Achillis, cujus exemplo mirifice delectabatur, floribus & corollis πολυτελῶς ornasse dicitur: ap. *Herodianum* IV. 8. p. m. 195. —— denique spectant huc illa *Statii* III. *Sylvar.* III. 211.

Salve supremum, senior mitissime patrum,
Supremumque vale: qui nunquam, sospite nato,
Triste chaös, mœstique situm patiere sepulcri;
Semper odoratis spirabunt floribus aræ,
Semper & Assyrios felix bibet urna liquores,
Et lacrimas: Qui major honos, hic sacra litabit
Manibus &c.

(ultima sic soleo distinguere, ut *major honos* cum sacris manium conjungatur, non cum *lacrimis*, ut vulgo: certe major honos erat relatio inter Divos, quam lacrimarum super sepulcrum effusio) hinc autem eleganter *perpetuum in urna ver* esse dicitur, si qua floribus erat coronata, apud *Juvenal.* Sat. VII. vs. 208.

Ab historiarum monumentis ad marmora venio vetusta, in quibus haud raro defuncti viatores monent, ne flores tumulo suo injicere dedignentur: tritum est illud Aurigæ votum

SPARGE.PRECOR.FLORES.SVPRA.MEA.BVSTA.VIATOR
FAVISTI. VIVO. FORSITAN. IPSE. MIHI.

in lapide metrico ap. *Gruter.* CCCXL. 4. *Fleetwod.* p. 137. 1. *Pithœum* L. III. *Epigr.* part. IX. n. 4. p. 115. sq. *Boldettum* L. I. *Osserv. Sopra i cimit.* Cap. LIII.

LIII. p. 281. conf. cel. *Drakenb.* ad *Sil. Ital.* XVI. 310. p. 813. notum etiam Irenes Epitaphium ap. *Gruter.* DCCCLXXXIX. 2. *Pithœum* l. c. p. 103. & otiosa etiam mendosa repetitione p. 119. n. 2. *Bonad.* T. II. p. 402. ex *Ferretio Mus. Lapidar.* p. III.

D. M.
SERVILIA. IRENE
REVERENS. PIA
CASTA. PVDICA
BIS. QVINOS. DENOS. ET. SEX
PROVECTA. PER. ANNOS
SIT. TIBI. TERRA. LEVIS
CINERES. QVOQVE. FLORE
TEGANTVR
CHRYSES. B. M.

Tale & hoc ap. *Pithœum* L. III. p. 102. n. 3.

Jam tibi Cybeles, sint & rosa grata Diones
Et flores grati Nymphis & lilia serta:

item Vibiæ Phrynes Epitaphium in *Museo Veronensi* p. CCLXIX. & ap. *Bonad.* T. II. p. 131. n. XLIII. ubi vs. 10. hæc satis mendosa habentur:

Di. manes. me. unam. retinete. ut. vivere. possint
Quos. semper. colui. viva. libente. animo
Ut. sint. qui. cineres. nostris. bene. floribu. sertis
Sæpe. ornent. dicant. sit. tibi. terra. levis.

F jun-

junge *Cæcilii* infantis titulum ap. *Fabrettum* Cap. IV. n. 186. p. 184. *Gudium* p. CCXXXI. 1. aliumque *Bonadæ* T. II. p. 372. ubi, quod ſingulare eſt, Cenotaphii floribus coronati exemplum habetur.

Conveniunt etiam barbararum gentium mores: de *Turcis* v. *Fureri Iter* ap. *Nicol.* III. *de Sep. Hebr.* XVII. 6. p. 219. *Ant. Nebriſſens.* ad *Prudent. Cathem. Hymn.* X. p. 170. & memorabilem *Cotovici* narrationem *Itin. Hieroſ.* Lib. IV. Cap. XII. p. 462. de pauperioribus, & p. 463. de ditioribus & nobilioribus: —— de *Moluccarum* inſularum incolis conf. *Hiſtor. Hodiernam* Tom. I. part. VI. p. 645. —— ſpectant & huc Bonzorum Japonenſium mores ibid. Tom. I. part. III. p. 343. —— & incolarum inſulæ Baly, quæ una eſt ex Sundanis: de quibus ibid. agitur T. II. p. 1. p. 99.

Hactenus de floribus in genere vidimus, obſervandæ nunc etiam certæ eorum ſpecies ſunt, quibus ſparſa olim ſepulcra fuerunt: ſic *purpureos flores* in funere Marcelli memorat *Virg.* VI. *Æn.* 884. *Purpureos ſpargam flores* cet. & *Sulpic. Severus Dial.* III. Cap. XVIII. *ſolum ipſum flore purpureo* cet. —— *Crocos Juvenalis Sat.* VII. vs. 308. —— in primis *roſis* utebantur: v. *Auſon. Epitaph.* XXXVI. & *Propert.* I. XVII. 22. ubi v. *Broukhuſ.* & *Paſſerat.* ad ejusd. III. XIV. p. 507. —— porro *lilia* ſpargebantur, argumento *Virg.* l. c. ubi v. *La Cerdam* p. 741. —— etiam *hyacinthi*: *Propert.* IV. VII. 33. conf. *Nicol. de L. G.* p. 258. ſqq. —— Plures hujusmodi flores eleganter ſæpe junguntur, ut in eleganti carmine ap. *Pithœum* L. III. *Epigr. vet.* part. II. p. 91.

Pierides tumulo violas, Venus alma hyacinthos,
Balſama dant Charites, Cinnama ſpargit Amor,
Phœbus odoratas lauros, Mars ipſe amaranthos,
Nos lacrymas, raræ munus amicitiæ:

Tale

Tale & hoc infantis pueruli Epitaphium ap. *Murator.* p. MDXIV, & *Bonad.* T. II. p. 226. quod quia longius eſt, integrum adſcribere non auſim: vs. 21. ſic legitur,

Creſce. cito. interea. manibus. dabo. lilia. plenis
Miſceboque. tuis. balſama. in. oſſiculis.
Tu. modo. non. fratris. donum. aſpernabere. nardum
Suſcipe. cum. nardo. ſuſcipe & . has, lacrimas
Suſcipe. & . hos. gemitus. fratris. cape. & . alba. liguſtra
Albe. puer. ſimilant. alba. liguſtra. tibi.

adde inſuper *Hieronymi* Ep. ad *Pammachium* Opp. Tom. IV. part. II. p. 584. ed. *Martianay* quam infra exſcriptam dabimus Cap. V. §. VIIII.

VIII. Pergo ad alterum genus φυλλοβολιας: nec enim ſolutis duntaxat floribus ſepulcra conſpergere, ſed & corollis ſertisque, ex variis florum frondiumque generibus, ſcite inter ſe aptatis nexisque, ornare tumulos Græci pariter & Romani ſolebant;

1. De Græcis *Sophoclis* locus teſtatur in *Electra* vs. 902. p. m. 121. ed. *Steph.* ubi Chryſoſthemis Electræ ait;

Και δη λεγω σοι παν, ὁσον κατειδομην·
Επει γαρ ηλθον πατρος αρχαιον ταφον,
Ὁρω κολωνης εξ ακρας νεορρυτας
Πηγας γαλακτος, και περιςεφη κυκλῳ
Παντων, ὁσ᾽ εςιν, ανθεων θηκην πατρος·
Ιδουσα δ᾽ εσχον θαυμα. - - - -

Quæ

Quæ verba non de adpositis floribus sunt accipienda, quod primo intuitu crederes, sed de coronatione sepulcri: uti ex collatione ejusdem fabulæ vs. 53. adparet, ubi diserte Orestes τυμβον πατρος στεφειν dicitur: —— tum Thessalorum exemplum, qui monitu Divi Dodonæi tumulum Achillis floribus quotannis solebant coronare, aliosque parentalium ritus celebrare; ut est ap. *Philostrat.* in *Heroicis* Cap. XIX §. XIV. p. 742. ed. *Olear.* —— porro sic Æthiopes, a Tithono Trojam missi, coronas abjecerunt in spinas Ægyptias, eo loco, quo Memnonem occubuisse acceperant, narrante *Demetrio* in Libro *de Rebus Ægypti* ap. *Athenæum* Lib. XV. Δειπνοσοφις. p. 680. B. ὁτι οἱ Αιθιοπες, σταλλομενοι εις Τροιαν ὑπο τȣ Τιθωνȣ, επει ηκȣσαν τον Μεμνονα τετελευτηκεναι, εν τȣτῳ τῳ τοπῳ στεφανȣς ανεβαλον επι τας ακανθας· εςι δε παραπλησια τα κλωνια στεφανοις, αφ' ὡν το ανθος φυεται. conf. *Jablonski* Synt. I. *de Memnone Græcor. & Ægypt.* Cap IV. §. 3. p. 26. sq. —— hinc autem Chlöe, rustica puella, εστεφανωσε τον ταφον της οιος, ap. *Longum* Lib. IV. *Pastoral.* p. 141. ed. *Mollii*: — porro quidni huc *Artemidori* locus spectet, eruditissimi sane scriptoris, & majori æstimatione, meliori etiam & magis vulgari editione dignissimi, qui I. *Oneirocr.* LIIII. p. 144. ed. *Rigalt.* inter ea quæ nuptiis & morti sunt communia, post solemnem *amicorum deductionem*, etiam *CORONAS*, & *aromata*, & *unguenta* memorat: —— denique luculentissimum hujus moris exemplum est apud *Xenophontem*, quem non miror a Græcis *apem atticam* dictum fuisse, nec injuria illi vel *Theophrasti* vel *Chrysosthomi* cognomen adderes, Αναβ. Κυρȣ Lib. VI. p. 455. ed. *Hutchinsoni* (Oxon. 1748. 8vo.) ενιȣς, ait de Arcadibus, δε τȣς εκ των ὁδων συνενεγκοντες, εθαψαν εκ των ὑπαρχοντων, ὡς εδυναντο,

ἐγαντο, κάλλιςα· ὡς δὲ μη εὕρισκον, ΚΕΝΟΤΑΦΙΟΝ αυτοις εποιησαν μεγα, και πυραν μεγαλην, και ΣΤΕΦΑΝΟΥΣ επεθησαν· ubi conf. notam Cel. editoris:

Atque hæ quidem coronæ vel ex variis diversi generis floribus nectebantur, ερωτες a Nicëensibus dictæ, ceu *Etymologus* docet, quem *Magnum* vocant, in *v.* ερως] ὁ στεφανος εκ παντων ανθεων τοις νεκυσι πωλουμενος λ. vel ex certa florum specie constabant: uti v. c. coronæ, a Thessalis in tumulo Achillis ornando adhibitæ, *amarantinæ* erant, ut superius *Philostratus* docuerat p. 741. haud raro *apio* virorum Illustrium sepulcra coronabantur, quod ex *Plutarcho* patet in *Timoleonte* Tom. I. *Opp.* p. 248. D. Ex foliis vero *foliis* raro serta instruebantur: siquidem οἱ, μαλλον εκ των φυλλων, η των ανθων, υφαινοντες τους στεφανους, δοκουσι μοι, ου κατα λογον χρησθαι τοις φυτοις, ut idem ait *Plutarchus* III. *Sympofiac. quæst.* 1. p. 646. E. T. II. *Opp.* nec minus tamen flaccidæ foliorum coronæ in fronte cippi sepulcralis occurrunt ap. *Heraclidam* III. *Anthol.* xii. 56.

Ἁ κονις αρτισκαπτος, επι σαλας δε μετωπῳ
Σευονται φυλλων ἡμιθανεις στεφανοι·

Quæ sic verto:

Sparsa jacet cinis, & foliorum in culmine cippi
Flaccida perpetuo cingula ventus agit:

2. Pariter *Romani* non floribus solum, sed & coronis sepulcra ornabant: v. *Ovid.* III. *Trist.* iii. 81. —— *Tibull.* II. *Eleg.* iiii. 47. ibique *Broukhus.* p. 248. —— sic in funere Melibœi *pictas dat Flora coronas* ap. *Nemesianum* Eclog. I. vs. 69. ubi lege

Titium & *Guidalotti Comment.* p. m. 12. sq. —— adde *Copam* inter *Catalecta Scaligeri* p. 94. ed. *Lindenb. Propert.* III. xiv. 23. & IV. vii. 39. *Stat.* V. *Sylv.* iii. 285. *Albinov.* ii. 143. sed abstineo, ne quis in re magis vulgari diuturnam fastidiat moram: marmor duntaxat addo literatum ap. *Gruter.* p. MLXXXI. I. dein rep. a *Scip. Maffejo Istoria Diplomatica* p. 42. (Mantuæ 1727. 4to.) ubi vs. 12. IN. QVE. VACVA. CVAM. *Sic* POSSESSIONEM. MONVMENTI. *Supra. Scripti.* CESSIT. ET. AD. ID. MONVMENTVM. ITVM. ADITVM. AMBITVM. ADQVE. *Sic* HAVSTVM. *CORONARE.* VESCI. MORTVVM. MORTVAS. MORTVOSVE. OSSA. INFERRE. VT. LICEAT. &c. plura dabunt *Kirchm.* IV. 3. *Paschal.* IV. 6. *Morestell.* VIII. 14. 15. *Ib. Porcacchi Funerali* p. 13. 14. ex quibus sua hauserunt *Noris.* diss. iii. ad *Cenot. Pisana* Cap. vi. p. 404. *Nicol. de L. G.* xvii. *Bonada* T. II. p. 63. *Faes.* ad *Gyrald.* p. 741. Tom. I. aliique.

VIIII. Festino ad Christianos, qui uti plurimas superstitionis rituumque vetustæ religionis reliquias dimittere tam plane non potuerunt, ita hac etiam in re gentilium mores haud raro secuti sunt, defunctorum, imo martyrum tumulos coronis floribusque ornantes: exempla sunt ap. *Prudentium* X. *Cathem.* 178. & Libro περι στεφανων Hymn. IX. vs. 195. sqq. —— porro hanc in rem facit *Sulpic. Severus* Dial. iii. §. xxii. - - - *cum Hierosolymam inde petiturus ventis vela commiseris* - - - *injungo* - - - *ut sollicitus inquiras, ubi sit consepultus noster ille Pomponius, nec fastidias visitare ossa peregrina* - - - *ac licet inani munere solum ipsum flore purpureo & suave redolentibus sparge graminibus:* conf. *Barth.* IV. *Adversar.* xviii. p. 195. *Jo. Weitzii* not. ad *Prudent.* X. περι στεφ. 169. p. 572. nec ab-

abhorruit etiam ab isto more *Hieronymus*, ut qui Nepotianum hoc nomine laudaverit, *hoc idem*, inquiens, *possumus & de isto dicere, qui Basilicas Ecclesiæ & martyrum conciliabula diversis floribus & arborum comis vitiumque pampinis obumbrabat* Opp. Tom. IV. part. II. p. 272. ed. *Martianay:* ipse etiam *quotiescunque*, ait, *nitor in verba prorumpere ac super tumulum ejus Epitaphii hujus flores spargere, toties implentur oculi* p. 266. paria colligi solent ex ejusdem ad Pammachium Epistola, de morte uxoris ejus Paullinæ ibid. p. 584. ubi tamen hunc morem non nihil videtur contemnere: *Cæteri mariti super tumulos conjugum spargunt violas, rosas, lilia, floresque purpureos, & dolorem pectoris his officiis testantur: Pammachius noster sanctam favillam, ossaque veneranda, eleëmosynæ balsamis rigat: his pigmentis atque odoribus fovet cineres quiescentes:* conf. *Aringh.* Lib. I. *Rom. Subternan.* Cap. xxv. p. 82. sq. Tom. I. & Lib. vI. Cap. I. p. 368. T. II. —— denique forsan & huc spectat titulus sepulcralis ap. *Jos. Mar. Suaresium* Lib. II. *Prænestes Antiquæ* Cap. vIII. p. m. 146. ubi ex conjectura eruditi editoris consecrata in Templo trium Virginum, in quo simul earum erat sepulcrum, leguntur *Cortinæ*, *Candelabra*, ... *Vestes*, *coronæ*, *codices* cet. —— clarius adhuc locus *Gregorii Turonensis* testatur Lib. I. *de Miraculis S. Martini* Cap II. p. 1002. ubi *Chunum quendam rabidum, instinctu dæmonis actum, CORONAM sepulcri, quæ Sancti (Martini) meritum declarabat, violenter arripuisse* narrat: quem ad verbum περιφράζει *Paullinus* Lib. vI. *de Vita Martini* vs. 213.

Abripuit sanctam, tumulo vellente, CORONAM,
QVÆ MERITVM SANCTI propter conjuncta DOCEBAT.

 plu-

plura dabit *Ruinartus* ad eund. *Gregor. Turonens.* Lib. *de gloria Confessor.* Cap. L. p. 935. adde ipsum *Gregorium* p. 969. A.

Contra alii hunc ipsum coronationis ritum detestabantur: uti *Minut. Felix* in *Octavio* Cap. XII. p. 125. & Cap. XXXVIII. p. 384. ubi caussam addit, licet eo in loco proprie ad ipsorum cadaverum coronationem respiciat: *nec mortuos*, inquiens, *coronamus. Ego vos in hoc magis miror, quemadmodum tribuatis exanimi, & non sentienti, coronam: cum & beatus non egeat, & miser non gaudeat floribus. At enim nos exsequias adornamus eadem tranquillitate, qua vivimus; nec adnectimus arescentem coronam, sed a Deo æternis floribus vividam sustinemus:* fortassis & huc spectat *Justinus M. Apolog.* I. p. 36. ed. *Thirlbii:* & spectaret haud dubie, si quorundam conjecturæ valerent: sic editur: ὁπερ μονον εγκαλειν ἡμιν εχετε, ὁτι μη τυς αυτυς ὑμιν σεβομεν θευς, μηδε τοις αποθανυσι χοας, και κνισας και εν ΓΡΑΦΑΙΣ ςεφανυς και θυσιας φερομεν· pro γραφαις *Meursius* & *Clericus* legebant ταφαις, quam emendationem secutus etiam *Kirchmannus* fuit Lib. IV. Cap. 3. f. melius tamen huc faceret locus, si *Thirlbii* valeret lectio, qui not. ad h. l. *olim*, inquit, *conjiciebam legendum esse* εν ταφοις: mox tamen hanc ipsam conjecturam iterum deserit, dubiumque se adhuc hærere testatur: In genere Christianorum odium in coronas, earumque qualemcunque usum copiose declarat *Clemens Alexandrinus* in *Pædagogo*, ubi *Gentiano Herveto* observata conferas: & quæ habet *Kortholtus* ad *Justin. M. Orat. ad Græcos* Cap. IV. p. 49. sq. ed. *Hutchini:* quem eundem esse atque *Thirlbyus*, ex *Trillero* didici III. *Observ. Crit.* I. p. 158. Ex recentioribus vero Pontificiis plerique hunc ipsum coronationis ritum recte a Christianis cele-

celebratum fuisse adserunt, distinguendum vero esse inter φυλλοβολιαν Christianorum, & coronationem Gentilium, si quidem hæc mere fuerit superstitiosa, illa victoriam indicaverit, qua beati illi post superatas vitæ ærumnas aliasque persequentium paganorum vexationes, potiti erant: sed nolo his diutius inhærere: adi, Lector, *Aringgum* I. *Rom. Subterr.* XXV. p. m. 82. Tom. I. & VI. 49. p. 365. T. II. adde quæ habet senator *Buonaroti Osservaz. Sopra i vasi antichi* Tab. XIX. fig. 3. p. 133.

Cæterum obsevari oportet φυλλοβολιαν istam & tumulorum coronationem, uti reliqua parentationis officia, a sedentibus plerumque fuisse peracta: qua de re præter alios conf. *Jo. Passerat.* ad *Propert.* I. *Eleg.* XV. p. m. 211. D. sq. ed. Paris. *Gataker.* ad Imp. *Antonin.* Lib. VIII. *de Rebus suis* §. XXXVII. p. 251. ed. Amst.

X. Exposito satis, ut puto, luculenter ipso ανθοβολιας & *coronationis* ritu, non a gentibus solum maximo opere desiderato, sed a Christianis etiam usu recepto, restant duo adhuc pertractanda: 1. media considerabimus, quibus usi olim homines fuerunt, ut hac florum sparsione post mortem potiri commode possent 2. caussas examinabimus, cur adeo hoc ornamenti genere delectati fuerint: Inter media primo loco videndum est, a quibus coronæ hæ nexæ & paratæ fuerint.

1. In Græcia peculiare hoc officii genus fuisse palam facit mentio *a.* στεφηπλοκων seu στεφανοπλοκων, qui coronas nectebant, & *b.* στεφανοπωλων, qui eas nexas paratasque in tabernis vendebant:

a. Priorum memoria est in *Glossis Græco Latinis:* στεφανοπλοκος, *coronarius:* & ap. *Plutarchum* Tom. II. *Opp.* p. 802. E. ὁ μεν τοι λογος εσω τε πολιτικε,

μητε νεαρός καὶ θεατρικός, ὡς περ πανηγυριζοντος καὶ ΣΤΕΦΑΝΟΠΛΟΚΟΥΝΤΟΣ. etiam in *Dioscorido* Lib. IIII. Cap. LXXII. p. m. 217. de *halicacabo*: ᾧ καὶ οἱ ΣΤΕΦΑΝΟΠΛΟΚΟΙ χρῶνται καταπλεκοντες τȣ̀ς ϛεφανȣς· —— nec virorum duntaxat officium id fuit, sed & mulierum: quod docet exemplum Glyceræ ap. *Plinium* XXXV. 11. ubi, pictam eam ab amatore suo Pausia fuisse, eamque tabulam *Stephanoplocon* seu *Stephanopolin* dictam esse, narrat, quoniam Glycera coronas vendendo victum sibi quæsiverat: & Lib. XXI. 2: paria fere habes: —— dein Chlöen huc etiam trahit *Paschalius*, de qua Daphnis apud *Longum* Nymphis querulus ait: ἀφ᾽ ὑμῶν ἡρπασθαι χλοη; καὶ τȣτο ιδειν ὑμεις ὑπεμείνατε; ἡ τȣς ΣΤΕΦΑΝΟΥΣ ὑμὶν ΠΛΕΚΟΥΣΑ, ἡ σπενδȣσα τὸ πρωτȣ γαλακτος Lib. II. p. 49. male tamen: non enim illa ex instituto coronas nectebat, nec quæstum inde suum quærebat: id saltem *Longus* non indicat: alioquin etiam Philetam & Tityrum coronarios fuisse censendum est: qui corollas adferebant, iisque Panis statuam ornabant: ap. eundem p. 59. —— melius huc *Plutarchus* spectat, qui disertam ϛεφηπλοκων memoriam injicit Tom. II. p. 41. E. διο δει το πολυ και κενον αφαιρȣντα της λεξεως, αυτων διωκειν τον καρπον, και μιμεισθαι μη τας ΣΤΕΦΗΠΛΟΚΟΥΣ, αλλα τας μελισσας. αἱ μεν γαρ επινοȣσαι τα ανθηρα και ευωδη των φυλλων, συνειρȣσι, και διαπλεκȣσιν ἡδυ μεν, εφημερον δε και ακαρπον εργον κ. τ. λ. —— Denique coronaria ejusmodi mulier occurrit ap. *Aristophanem* in *Thesmophoriazusis*, cujus verba, quia totam hujus officii rationem exponunt, integra adscribam:

'Aλ

Αδ ἐγω πεπονθα, ταυτα λεξαι βȣλομαι·
Εμοι γαρ ανηρ ἀπεθανεν μεν εν κυπρῳ,
Παιδαρια πεντε καταλιπων, ἁ 'γω μολις
Στεφανηπλοκȣσ' εβοσκον εν ταις μυρρίναις.
Τεως μεν ȣν αλλ' ἡμικακως εβοσκομην,
Νυν δ' αυτος εν ταις τραγωδιαις ποιων
Τους ανδρας αναπεποικεν ȣκ ειναι θεȣς,
Ὡς ȣτ' εμπολωμεν ȣδ' εις ἡμισυ·
Νυν ȣν ἁπασαισι παραινω και λεγω
Τουτον κολασαι τον ανδρα πολλων ȣ'νεκα·
Αγρια μεν ἡμας, ω γυναικες, δρᾳ κακα,
Ατ' εν αγριοισι λαχανοις αυτος τραφεις.
Αλλ' εις αγοραν απειμι δει γαρ ανδρασιν
Πλεξαι ςεφανȣς συνθημαΐιαιȣς εικοσιν,

ubi *Scholiastes*: ςεφανηπλοκȣσα.] τȣτ' εςι πλεκȣσα τȣς ςεφανȣς ὑφαινȣσα και διακοσμȣσα: notandi etiam in his verbis sunt ςεφανοι συνθηματιαιοι, de quibus *Athenæus* Lib. xv. p. 680. c. συνθηματιαιοι ςεφανοι, ηργολαβομενοι καὶ εκδοσιμοι: Αριςοφανης εν Θεσμοφοριαζȣσαις·

Πλεξαι ςεφανȣς συνθηματιαιȣς εικοσιν·

conf. *Polluc.* Tom. II. p. 838. *Schol.* ad *Aristoph.* l. c. *Paschal.* II. xv. p. 123. & *Casaub.* XV. *Animadv. in Athenæum* VII. p. 961. sq. —— Munus autem illud jam a primis initiis admodum vile fuisse, exemplum Glyceræ docet, quam coronas necten-

do

do & venditando paupertatem ſuſtentaſſe *Plinius* ait: nec melius officii iſtud genus mulierculæ apud Comicum ceſſit: vel ſic tamen inde Regnum Ægypti nactus Amaſis eſt, de quo *Hellanicus* narrat, ipſum plebejæ conditionis hominem coronam, quam ſub initium veris ex variis floribus nexerat, Partamidi Ægypti Regi dono miſiſſe: Partamin vero elegantia coronæ mirifice delectatum, ipſum inter amicos adoptaſſe; ſic dein Ægypti regnum defectione militum in Amaſin devolutum fuiſſe: in *Ægyptiacis* ap. *Athenæum* Lib. xv. p. 680. B.

b. Uti autem erant qui coronas nectendo & parando victum ſibi quærerent, ita non defuerunt etiam, qui corollas haſce nexas paratasque in tabernis venderent; ſic ap. *Suidam:* ϛεφανοπώλης· ὁ τὰς ϛεφάνους πωλῶν· nec viri duntaxat ſed & mulieres: hinc ap. *Pollucem* junguntur ϛεφανοπῶλαι, ϛεφανοπώλιδες, ϛεφανοπωλήτριαι· Lib. VII. Sect. CXCIX. p. 837. T. II. ed. nov. ultima vox rarior eſt: ϛεφανοπώλιδες occurrunt ap. *Plin.* XXXV. 11. & *Plutarchum* Lib. III. *Sympoſiac. Quæſt.* I. p. 646. E. ἐγὼ μὲν ταῦτα συμβάλλομαι ταῖς ϛεφανοπώλισιν· ——— ſic *Eubulus* quoque, vetus poeta, fabulam ſcripſit, quæ ϛεφανοπώλιδες dicebatur: excitat illam *Athenæus* Lib. XIII. p. 557. F. Lib. XV. p. 679. B. & forſan etiam Lib. IX. p. 384. C. ibi enim non *Eupolis* ſeb *Eubulus* legendum eſſe monet *Caſaub.* IX. *Animadv.* VIII. p. 662. cui tamen vix adſenſum præbere videtur *J. A. Fabricius* Lib. II. *Biblioth. Græc.* Cap. XXI. p. 762. Tom. I. interim notandum de eodem Eubulo eſt μνημονικὸν, quod dicitur, ἁμάρτημα, viri excellenter docti, *A. F. Gorii*, qui in *Obſerv. ad Monum. Antiqua* tab. IX. Tom. III. *Inſcr. Etrur.* p. LXXXI. *Cleobulus* ait *Comœdiam ſcripſit* ϛεφανοπώλιδας: *hoc eſt, venditrices coronarum, cujus* me-

meminit *Athenæus Lib. XIII. Cap.* x. nec enim in toto opere *Cleobuli Athenæus* meminit, nedum fabulam ejus στεφανοπωλίδες memorat: ut adeo convenientia nominum *Cleobuli* & *Eubuli* deceptus fuisse videatur vir egregius:

Cæterum distinguendi ab his στεφανοπλόκοις & στεφανοπώλαις sedulo sunt στεφανοφόροι, Sacerdotum genus: v. Ill. *Cuperum* in *Harpocrate* p. 137. *Reines.* not. ad Class. I. n. XLI. p. 84. & n. LXXII. p. 113. & peculiares DD vv. curas, quas laudat *Car. Henr. Zebichius* diss. *de Tarso* §. XIII. p. 538. P. III. Tom. III. *Symb. Liter.* distinguendi etiam sunt *coronistæ*, de quibus *Athenæus* Lib. VIII. p. 360. B. ibique *Casaub.* VIII. *Anim.* XV. p. 626. & *Kusterus* ad *Suidam* Tom. I. p. 26.

Denique memorare debeo *Hippone* (quam Romani *Vibonem Valentiam* nuncuparunt teste *Plin.* III. 5.) dedecori matronis fuisse, si coronis emtitiis ornatæ sacra obirent; testante *Strabone* Lib. VI. p. m. 394. Tom. I. ed. *Almelov.* morem enim narrat ibi fuisse receptum, jam inde a raptu Proserpinæ, quæ illic flores legens a Plutone visa & rapta fuit, ut matronæ sibimet ipsæ coronas texerent, floresque legerent, absque *coronariorum* ope:

2. Nunc de Romanis quoque agendum: de his vix quidquam habuissem, quod producerem, nisi & hac in re suppetias ferrent literati lapides, quibus tot egregia vetustorum rituum monumenta debentur, quorum memoriam in scriptis auctorum libris frustra quæsiveris: —— non enim huc spectat *Horatius* apud quem occurrit

- - - - studiosa florum &
Debitæ nymphis opifex coronæ

III.

III. Od. XXVII. 29. 30. quæ de Europa dicuntur a Jove rapta, quem ſub ſpecie tauri coronata floribusque ornata conſcenderat: —— nec quidquam huc facit *Tertullianus*, qui Libro *de Corona militis* Cap. VII. p. m. 123. D. ed. *Rigalt*, *Coronariorum* quidem meminit, ſed alio ſenſu: *proinde* inquiens *CORONARII iſti agnoſcant interim naturæ auctoritatem, communis ſapientiæ nomine, qua homines*; cet, quibus verbis non illos alloquitur, qui Coronis vel parandis vel vendendis victum quærebant, ſed gentiles, eosque potiſſimum, qui coronarum uſum in capite, cet. quem Chriſtiani reſpuebant, probare & defendere adnitebantur: —— denique perperam quoque huc *Gellii* locus trahitur, qui Lib. IV. *N. A.* 14. Mancinum ædilem curulem ad ædes Mamiliæ veniſſe narrat *cum Coronario*: i. e. non cum homine, qui coronas vendebat, nectebatve, ſed cum corona in capite, quomodo ebrii ſolebant: ſic certe locum interpretatur *Phil. Caroli* IV. *Animadv. in Agell.* XIV. p. 273. nec etiam conſtat hæc lectio: *Heinſius* citabat *cum corona* not. ad *Max. Tyrium* diſſ. VIII. p. m. 46. *Gronovius* not. ad h. l. *pro CORONARIO* inquit *forſan legendum COROLLARIO, quo etiam corona intelligitur, ut ex Suetonii Auguſt. Cap.* 45. *& Plinio Lib.* 21. *liquet* —— ſolæ *Gloſſæ Latino Græcæ* ſic habent: *Coronarius*: στεφανοπλόκος: luculentius vero de his marmora teſtantur, in quibus aliquoties hæc vox occurrit: ſic *Coronarii* ſunt in lapidibus

I. ap.

I.

ap. *Gruterum* p. DCLI. 7.

P. MARCIVS. PL. CHARID
CORONARIVS HEIC
SITVS EST
VIX. AN. XXII. M. III. D. VI.

II

ap. *Fabrett.* Cap. x. n. 230. p. 701.

P. MINVCIVS. P. F
CHARITO. CORONARIVS
HEIC. SITVS. EST

III.

ap. *Donium* cl. VIII. n. 90. & *Murator.* Tom. II. p. CMXLV. 8.

C. IVLIVS
PHILARGYRVS
CORONAR. OLL. D.

IIII.

Ex *Fabretto* Cap. V. n. 120. p. 366. conf. omnino *Gorium* T. III. *Infcr. Etrur.* p. 97. qui infcriptionem hanc ad coronarios refert qui in navibus erant,

erant, quorum ſimul officium erudite illuſtrat.

ATHENIO. DE
III. DANAE. CORO
NARIVS. QVARE

& *coronaria* in alio, quem

V.

Ex *Gorio Inſcr. Etrur.* T. II. p. 455. n. 76.
repetiit *Marat.* p. CMLXXIV. 3.

REMNIAE
PRIMIGENIAE
CORONARIAE
IN. AGR. P. VI.

Corollariæ vero occurrunt in his marmoribus

V I.

ap. *Gudium* p. CCXIII. 7.

D. M.
CLAVDIA. BABE. COROL
LARIA. FECIT. SIBI. ET. SVIS
FILIIS. ET. LIBERTIS. LIBER
TABVSQ. POSTERISQ. EORVM
H. M. H. E. N. S.

VII.

VII.

ap. *Gudium* p. CCXVIII. 2.

CAIAE. IVLIAE. GORDYSIAE
COROLLARIAE. DE. VIA
SACRA. VIX. ANN. L. M. VIII.
SEXTILIVS. L. L. DIONYSIVS
CONIVGI. PIISSIMAE
B. D. S. M. F.

VIII.

ap. *Gudium* p. CCXVIII. I.

H. S. E.
IVLIA. C. LIBERTA. CHIA
COROLLARIA. ALVMNA
L. IVLI. PHILOLAI. AVG. L.

VIIII.

in *Marm. Pisaurensibus* n. CLII. & ap. *Murator.* p. CMXCIX. 8.

D. M.
CORNELIA. A. L.
ACTE. COROLLARIA

G Uti

Uti autem inſcriptorum lapidum magnum in illuſtrandis hiſce *Coronariis* uſum videmus, ita haud minus ab inſculptis marmoribus hic juvamur: imago enim *Coronariæ mulieris* accurate & eleganter depicta ſupereſt in ſaxo vetuſto, quod æri inciſum exhibetur Tom. I. *Inſcr. Etruriæ*, inter *Monumenta Antiqua* n. LX. ex quo ipſo marmore tota *coronariæ* artis ratio poteſt diſci, præcipue ſi contuleris eruditiſſimam explicationem ſummi Viri *A. F. Gorii*, egregii literarum in Italia nuper vindicis, in *Obſervationibus ad Monumenta Antiqua* ibid. editis Tom. III. p. LXXIX. ſqq.

Cæterum mirari hic merito ſubit cum *Hannibale ab Abbatibus Oliverio*, Illuſtri viro, *not. ad Marm. Piſaurenſia* n. CLII. p. 195. tam raro *Coronariorum* apud Latinos mentionem inveniri, cum tanto opere coronarum uſu in omni cerimoniarum genere delectati Romani fuerint: equidem inde potiſſimum cauſſam derivandam eſſe judicem, quod munus iſtud στεφανοπλοκίας viliſſimum fuerit, nec quæſtum inde ſuum quæſiverint, niſi ſervilis & ſummum libertinæ conditionis homines.

Seriore quidem tempore occurrunt *coronarii*, nobiliſſimi viri, ſed hi ab antiquioribus illis *coronariis*, de quibus nos loquimur, toto cœlo diſtant: erantque proprie *judices placitorum*, ut tum loquebantur, *coronæ*: ita dicti, quod eorum cognitio ad *coronam* ſpeciatim pertinebat: explicante *Du Cangio* in *Gloſſar. Med. & Inf. Latinit.* vv. *Coronarius & coronator*:

Antiquioribus vero *Coronariis*, qui coronis nectendis vendendisque occupabantur, convenire exiſtimem *Strophiarios*, quorum *Plautus* meminit III. *Aulular.* v. 42.

Strophiarii adſtant, adſtant ſemizonarii:

Taub-

Taubmannus quidem per *ſtrophiarios* hic intelligit *opifices faſciarum virginalium*, auctoritate *Nonii Marcelli* ductus, qui *ſtrophium faſciam* interpretatur *brevem*, *quæ virginalem papillarum tumorem cohibet*: Lib. *de genere veſtiment*. p. 538. ed. *Pariſ.* conf. *Beroaldi* Comment. ad *Apuleſum* II. *Mileſiar*. p. m. 146. Tom. I. ed. Lugd. & DD. VV. ad *Ariſtoph. Theſmoph.* vs. 645. non tamen video, cur *ſtrophiarios* parandis etiam coronis vacaſſe, cum ratione inficiari quis poſſet, cum *ſtrophium* tam *coronam* in genere omnem ſignificet, quam *faſciam mamillarem*: v. *Paſchal*: I. *de Coron*. xi. & II. i. firmat quoque ex Græcis *Lexicon vocum Herodoti*: Στροφος] ὁ περι την κεφαλην ϛροφιον, ὅ εϛιν ἑρεκν· IV. 60. ſic etiam ap. *Manethonem* Lib. i. *Apotelesmat*. vs. 227. occurrunt

> Αρχοντες μεγαλοι, ευδαιμονες, εμφρονες ανδρες,
> Ενδοξοι, ΣΤΡΟΦΙΟΙΣΙ ΚΑΡΗΑΤΑ κοσμηθεντες.

conf. quæ habet *Olearius* ad *Philoſtr*. Lib. VIII. *vit. Apoll. Tyan*. Cap. VII. p. 335. & junge *Athenæum* Lib. XII. p. 543. F. ἐφορει δε ὑπο τρυφης πορφυριδα; και ΣΤΡΟΦΙΟΝ λευκον ἐπι της ΚΕΦΑΛΗΣ κ. τ. λ. interim fateor ϛροφιον non tam corollas ex floribus foliisque nexas, quam quidem faſcias, ex lana, purpura, aliaque id genus materia, paratas indicaſſe: unde tamen *Strophiariorum* cum *Coronariis* convenientia non tollitur: & vero laneis etiam vittis ſepulcra ornata fuiſſe, docet *Varro* VI. *de LL*. p. 50. ed. *Gothofr*. de loco *Plauti* mecum facere video *Dalechampium* not. ad *Plin*. XXI. 2. *Strophiarios*, inquiens, *vocat Plautus ſtrophiorum, id eſt coronarum, opifices*, qui de ipſa voce paullo ante non nulla docte congeſſerat.

XI. Explicita *Coronariorum* & ϛεφανοπωλητριων

ratione, de altero etiam medio perſpiciendum nobis eſt, quo effectum olim fuit, ut defuncti ſtato tempore, quod vel natale, vel annuum, vel indefinitum & continuum erat, coronatione & ἀνθοβολίᾳ poſſent honorari: videlicet ſervi in hanc rem ſepulcris adponebantur: qui continuo florum coronarumque ſparſione gratum defuncto officium præſtabant: clariſſime rem expedit *Propertius* III. *Eleg.* XIV. 23.

Adferet huc unguenta mihi, ſertisque ſepulcrum
Ornabit CVSTOS, ad mea buſta ſedens:

Qui proprie *cuſtodem* vocat: ſic & *Jul. Firmicus* Lib. III. Cap. II. *In tertio loco Mercurius cum Saturno ab boroſcopo partiliter conſtitutus pollinctores faciet ac funerarios mortuorum cadaverum CVSTODES, aut SEPVLCRORVM JANITORES:* Lib. IV. Cap. I. *faciet quoque miſeros, deſtitutos, - - - CVSTODESque SEPVLCRORVM:* & alibi: conf. *Du Cange Gloſſar. med. & inf. Latin.* v. *cuſtos ſepulcri:* erant autem hi interdum ſervilis, ſæpius libertinæ conditionis homines: de ſervis aliquo modo teſtatur *Modeſtinus* ICtus l. 44. *π. de manum. teſtam.* de libertis *Scævola* loquitur l. 18. §. 5. *π. de alim. vel. cib. cibaria*, inquiens, *& veſtiaria per fidei commiſſum dederat, & ita adjecerat, quos libertos meos, ubi corpus meum poſitum fuerit, ibi eos morari jubeo, ut per abſentiam filiarum mearum, ad ſarcofagum meum memoriam meam quotannis celebrent: quæſitum eſt, uni ex libertis, qui a die mortis neque ad heredes acceſſerit, neque ad ſepulcrum morari voluerit, an alimenta præſtanda? reſpondit: non præſtanda:* ubi ſimul vides teſtamento libertis iſtis ſæpe hoc vel illud legatum fuiſſe donum, partemque hereditatis adſignatam fuiſſe, ut defuncto præſtare il-

illud officium vellent: ſic & *Papinianus* l. 71. §. 2. *π. de Condit. & Demonſtr. Titio centum relicta ſunt, ita ut a monumento meo non recedat:* conf. *Kirchm.* III. 22. libertos autem ſpeciatim huic cuſtodiæ admotos fuiſſe, docet etiam hiſtoria, quæ eſt apud *Appianum Bell. Civil.* Lib. iv. p. 988. ed. *Tollii* ἑτερος απελευθερος ταφον δεσποτου φυλασσων, τον δεσποσυνον προγραφεντα εφυλασσεν εν τῳ ταφῳ μετα τυ πατρος· & Trimalchio ap. *Petronium Satyrici* Cap. lxxi. *præponam enim unum ex libertis ſepulcro meo, cuſtodiæ cauſſa, ne in monumentum meum populus cacatum currat:*

Munus horum cuſtodum fuit fores ſepulcri claudere & aperire, atque hinc *janitores* ι. dicebantur: v. *J. G. te Water Obſerv. ad H. Sepult, Chriſti* p. 32. qui tamen male huc *Philoſtrati* locum trahit Lib. i. *de Vit. Sophiſt.* xxv. p. 544. ubi συγκλειοντες quidem occurrunt, (non ut *te Water* συγκλειονες) ſed non officii vel muneris ſenſu: adde obiter *Feſſelii Adverſaria* Lib. vi. Cap. v. p. 81. Tom. II. jam a *Wolfio* ad *Matth.* xxvii. 60. p. 416. Tom. I. indicata: hinc illis claves dabantur, quæ cuſtodiam ſepulcri indicabant: conf. *Gorii* not. ad. *Don.* cl. ii. n. 180. p. 107. *v. Lom ad vet. chirogr.* p. 45. notum eſt januas ſepulcris fuiſſe additas, minus forſan nota erit

ι. πυλαωρυς *Manethon* vocat Lib. vi. *Apotelesm.* vs. 409. p. 122. Οὑς δ'αρα πενθαλεων τυμβων θηκαν πυλαωρυς quem locum mihi ſuggeſſit cel. Wesselingivs: pariter uti de *oſtiariis* in genere πυλωρων vocabulum occurrit ap. *Philonem Judæum* Libro *de profugis* p. 471. a. etiam in *Typico Irenes Auguſtæ* Cap. xxix. p. 204. Tom. IV. *Monum. Eccleſ. Græcæ:* & ap *Suidam v.* πυλωρει. p. 240. Tom. III. adde *Du Cangium Gloſſar. med. & inf. Græcit. v.* p. 1274. vel θυρωρων ut apud *Heliodorum Æthiop.* Lib. vii. p. 328. 27. ed. *Bourdel.* aliosque:

erit caussa, cur factum id esse non nulli credant: scilicet sepulcrorum hæc ostia *Orci januas* designasse *Gorius* censet in *Observat. ad Monum. Antiqua* Tab. XVIII. n. 2. 3. pag. CXI. Tom. III. *Inscr. Etrur.* & certe frequenter portæ Orci infernique memorantur, Græcis πυλαι ἀδυ [ι]: an vero inde derivanda januarum, quæ in sepulcris erant, origo sit, acutiores viderint: *Gorii* certe sententiæ recta opponitur *Jo. Rod. Steckii* opinio, qui in *Observ. ad Matth.* XVI. 18. p. 191. P. I. Tom. III. *Symb. Liter.* portarum inferni mentionem sepulcrorum januis originem debere censet: —— præterea agri hortique, sepulcro additi, curam agere debebant: huc respicit *Ausonius Epitaph.* XXI.

Nec vexat cineres horti cultura quietos:

docet etiam quodammodo lapis a Cæsare *Malvasia* inter *Marmora Felsinæ* relatus Sect. VII. Cap. VII. p. 421. ed. *Bonon.* - - - - HVIC. MONOMENTO. CEDIT. CVSTODIAE. CAVSSA. QVE. EST. IVNCTA. TABERNE. CVM. EDIFICIO. ET. HORTO. PLVS. MINVS. IVGERV. QVIT. QVIT. *Sic* IVRIS. EST. EIVS. SEPVLCHRI. ITA. NE. VENDERE. LICEAT. SET. *Sic* COLERE. H. M. ET. AEDIFICIV. H. NON. S. & hanc quidem culturam duplicis fuisse generis censeam: alteram quæ ipsum monumentum, alteram quæ aream sepulcri spectabat: Ipsum monumentum purgare a sordibus, ejusque ornamenta insculpta, co-

ι. v. *Rittershus.* ad *Oppian.* III. *Cyneg.* 419. p. 343. cl. *Alberti Observ. in N. T.* p. 111. 112. *Nicol. de L.* G. p. 305. *de S. H.* p. 22. cl. *de Rhoer Fer. Daventr.* L. I. c. XX. p. 103. *Burm.* ad *Val. Flacc.* I. 783. *Schlichter. Dec. sacr.* Obs. II. §. XIII. p. 43. *Arntzen.* ad *Sedul.* L. I. vs. 174. Lib. III. vs. 290. *J. G. te Water Observ. ad hist. sep. Christi* p. 32. contra πυλαι ὀυρανȣ sunt apud *Homerum* Il. E. 749. de *nubibus*: explicante *Suida* v. p. 240. Tom. III.

coronas, flores, arbores, imagines, cet. munda & pura servare tenebantur: quo referri debet formula lapidis ap. *Scip. Maffejum*, Marchionem Illustrissimum, *Mus. Veron.* p. CXLVI. 3. & *Murator.* p. DXXVII. I. ADIECIT. - - - - PONTIA. - - - ISD. COLLEG. - - - - OB. EANDEM. CAVSSAM. HS. N. DC. ET. VT. MONIMENTVM. REMVND*ent.* aream autem & adjacentes agros hortulosque a sentibus vepribusque, (a quibus quantopere abhorruerint veteres supra docuimus Cap. v. §. III. VI. pag. 70. 76.) purgari debuisse, recte olim *Gutherium* docuisse arbitror II. *de Jure Manium* 31. quantumvis idcirco vapulaverit cl. *Burmanno* qui not. ad *Petron.* LXXI. p. 355. *culturam* illam, de qua lapis *Gruteri*, mox memorandus, de purgandis duntaxat ornamentis sepulcrorum externis accipiendam urget; nec enim, quod adfert v. D. vocem *colere* de *ornatione* accipi, semper valet, cum de agri hortique cura haud raro etiam teratur, quod vel ipse *Ausonii* locus docet: Ceterum certa illis interdum etiam pecuniae summa addebatur, qua sumtibus, colendo agro hortoque impensis, satisfacerent: clarissime id docet *Gruteri* marmor p. DCXXIII. 8. dein a *Muratorio* repetitum T. II. p. CMLXXVI. 8.

A. SEMPRONIVS. LAETVS
MENSOR. AEDIFICIORVM
HVIC. MONVMENTO. EX. TE
STAMENTO
IN. CVLTVRAM. LEGATA. SVNT
HS. VII.
A. SEMPRONIO. SEVERO.

 paul-

paullo obſcurius indicatur ap. *Donium* claſſ. v. n. 216. p. 215. lapis enim mutilus maximam partem eſt: conf. *Reineſ.* ad claſſ. VI. n. CXIII. p. 451. ſq. & ad *Petronium* LXXI. p. 352. —— Tandem ſepulcrorum cuſtodes in primis attendere debebant, ne qua vel ſepulcro, vel cadaveri ipſi injuria noxave inferretur: eaque tueri debebant a τυμβωρυχοις & ſepulcrorum violatoribus, etiam a furibus & creditoribus: creditores enim defunctos ſæpe numero rapiebant, pignorisque loco ſepultura deſtitutos tenebant, donec ab amicis cognatisque debitam pecuniam accepiſſent: conf. omnino *P. Moreſtellum* I. *pomp. fer.* XXI. p. 1382. T. XII. *Th. Antiq. Rom.* & *Faeſ.* ad *Gyraldum* p. 760. not. 12. —— in genere ab omni injuria tuta ſervare tenebantur: argumento *Petronii* l. c. *præponam unum ex libertis ſepulcro meo, cuſtodiæ cauſſa, ne in monumentum meum populus cacatum currat:* cum qua formula, præter quos e *Fabretto* adduxit cel. *Burmannus*, convenit etiam lapis a *Galeo* editus, in elegantiſſimis obſervationibus ad *Antonini Iter Britann.* p. 71. QVI. HIC. MIXERIT. AVT. CACARIT. HABEAT. DEOS. SVPEROS. ET. INFEROS. IRATOS. — confer generatim, quæ habet *Jac. Gothofredus* abſolutiſſimo in *Codicem Theodoſ.* Commentario Tom. III. p. 155. ſq.

Diſtinctos ab his cadaverum cuſtodibus eſſe putem *ſepulcrorum æditûos*, quales occurrunt ap. *Reineſ.* cl. v. n. LIII. p. 388.

DIIS. MANIBVS
L. POLITICIENO. P. FIL.
PAPINIANO
AEDITVO. SEPVL. SERG.

FA-

FAMILIAE. AEDITVAVIT
ANN. XII. VIXIT. ANN. XXVII.
M. VI. L. POLITICE
NVS. L. F. PHILIPPICVS
SACERDOS. SERG. FAM.
FRATRI. PIISSIMO
FECIT. ET. SIBI

& *Curatores sepulcrorum* ap. *Gruterum* DCXXXVI. 12. VS. 9.

NAM. CVRATORES. SVBSTITVAM
QVI. VESCANTVR
EX. HORVM. HORTORVM. REDITV
NATALI. MEO
ET. PRAEBEANT. ROSAM. IN. PERPE
TVVM.

conf. *Orsato Marmi Eruditi* p. 22. forsan & ap. *Donium* class. v. n. 155. p. 201. & *Gudium* p. CCCLXI. 7. quos *eam monumenti tutelam vel curam praecipue gessisse, quae impensas monumenti sequeretur*, opinatur *Gutherius* de *Jure Manium* Lib. II. Cap. XXXI. p. 1245. interim licet aliter scio censuisse doctissimum *Heinsium*, qui titulum *Gruteri* dicto Trimalchionis ap. *Petronium*, *praeponam unum ex LIBERTIS sepulcro meo* &c. adplicat p. 354. ed. *Burm.* atque adeo videtur *curatores sepulcrorum* eum *custodibus* miscuisse: cui non nihil etiam auxilii ex alio *Gruteri* marmore peti posse videtur p. CCCCXCVI. 7. conf. *v. Lom. ad* vet. *chirogr.* §. xx.

p. 45. vel sic tamen meæ me nondum sententiæ pœnitet:

In genere *sepulcrorum custodes* ad classem *Libitinariorum* pertinent, quo nomine, omnes veniunt, quorum officia artesve ad defunctos aut sepulcra aliquid conferebant: conf. quæ habet *Faes.* ad *Gyraldum* p. 688. & 750. not. 3.

Habitabant autem *custodes* illi in ædiculis, quæ vel prope sepulcra erigebantur, vel ipsis sepulcris superstruebantur: clarissime lapis *Gruteri* p. DCXL. 2. HAEC. TABER. CVM. AEDIF. HVIVS. MONVM. TVTELA. EST. Tale & hoc *Fabretti* marmor Cap. V. *Inscr.* n. 45. p. 352. rep. ap. *Gudium* p. CXC. I.

CVSTODIAM. MONVMENTI
INHABITANDI. CAVSSA. FECIT. AELIA
CHRESTE. ET. POST. EXCESSVM. SVVM. IS
QVI. SVPRA. SCRIPTI. SVNT. HABITARE
IVRIS. CAVSSA. RELIQVIARVM. SVORVM
ET. EVARISTI. FRATRIS. cet.

ap. *Reines.* class. VI. n. CXII. p. 450. AEDICIAM (pro AEDICVLAM) CVM. VINEA. ET. MVRIS. AD. OPVS. CONSVMMANDAM *Sic* ET. AD. TVTELAM. EIVS. cet. conf. *Conradi Parerga* Obs. IV. §. X. p. 88. sq. addi velim lapides ap. *Fabrettum Inscr. Domest.* Cap. IV. p. 320. I. & not. ad Cap. V. p. 393. eundem in *Syntagm. de Columna Trajani* p. 376. *Lupum* ad *Epit. Severæ* p. 114. sq. 119. *Malvasiam Marm. Felsin.* p. 421. *Gruter.* p. CCCXCIX. I. ibique *Gudii* not. hinc frequenter AEDIFICIA memorantur sepulcris addita ap. *Gru-*

Gruter. DCCXL. DCCCLXVII. 5. & AEDIFICIOLA p. DCCCIX. 2. ſuperpoſita autem p. DCCLXII. 5. interdum etiam hæc AEDIFITIA ipſo CVSTODIAE nomine veniunt: ſic MONVMENtum CVM SVA CVSTODIa ap. *Fabrett.* Cap. IV. n. 429. p. 320. L. CVSTODIOLA PALADIANA ap. *Murat.* T. II. p. MXIII. 5. alibique: nec tamen ſemper ædificia, quæ ſepulcris juncta vel impoſita leguntur, ſervis cuſtodibus habitata fuiſſe, cenſendum eſt: ſæpius enim Diis Deabuſque prope ſepulcra erigebantur ædiculæ ſacræ: conf. *Gorii Obſervat.* ad *Monum. antiqua* Tab VIII. pag. LXVII. in limine *Inſcript. Antiq. Donii: Nicol.* II. de *Sep. Hebr.* XV. §. VI. p. 110. ſq. & IV. VII. p. 255. ſqq. nominatim AEDICVLA GENIALis GENIO *ſacra* memoratur ap. *Reineſ.* claſſ. XIII. n. LXIV. p. 718. & *Gudium* p. CLXIV. 10. atque hinc ſimul intelligitur, cur ipſas interdum urnas ſepulcrales fani alicujus, aut ſacelli, formam præ ſe ferre videamus, ut ſcilicet Dii Manes ſaltem aliquod cultus reverentiæque indicium haberent: vide duo inſignia exempla ap. *Gorium Inſcr. Etrur.* Tom. I. p. 349. ibique *Salvin.* p. 350. ne quid dicam de forma ſepulcrorum, quæ frequenter Templi ædisve ſacræ figuram oſtentabant: v. *Fabrettum* Cap. III. *Inſcr.* p. 205. elegantiſſime lapis *Muratorii* T. III. p. MDCXXXVIII. 4. & *Bonad.* Tom. II. p. 133.

QVOD.CREDIS.TEMPLVM.QVOD.FORTE.VIATOR.ADORAS
POMPTILLAE. CINERES. OSSAQVE. PARVA. TEGIT

Conf. ipſum *Bonad.* T. I. p. 223. ſq. *Dempſter. Etrur. Regal.* Lib. III. Cap. X. pag. 267. Tom. I. ſed hæc ἐν παρόδῳ: præterea *ædiculæ* & *ædificia* illa ſæpiſſime longe aliam habent notionem, nec de habitationibus prope ſepulcra accipi debent, ſed ad inter-

ternam sepulcrorum structuram sunt referenda, in quibus loculi recipiendis urnis destinati, vulgo *columbaria* & *ollaria* dicti, his etiam nominibus interdum signantur: v. *Fabrett.* Cap. I. *Inscr.* p. 14. sqq. & not. p. 54. Ceterum sepulcrorum custodes etiam in *tabernis* habitasse videntur, quarum toties in lapidibus occurrit mentio: qui eas haud raro *monumentorum* quoque *tutelas* appellant: ap. *Gruter.* p. CCCXCIX. I. DCXL. 2. alibique: ejusdem generis sunt *dietæ*, *cœnacula*, *casæ*, *cameræ*, *distega*, aliaque id genus, quæ vel ad *tutelam*, vel ad *culturam*, vel ad *parentationes*, vel ad *habitandum* erant idonea & destinata: singula accurate exponere si velim, non liceret tamen: de *cameris* duntaxat moneo, earum mentionem superesse ap. *Reines.* class. IX. n. XV. p. 555. & Gr. καμαρα ap. *Murator.* p. CML. I. T. II. etiam in *Marmor. Oxoniens.* p. 127. 130. 132. Tom. I. & in *Append.* p. 305. ed. *Oxon.* ex quibus erudiri poterit *Gutherius*, qui *cameras* inquit *in sepulcris non observavi*, *sed tabernas:* Lib. II. de *Jure Manium* cap. XXX. p 1243. D. T. XII. *Th. A. R.* interim *cameras* has diversas sæpe ab ipso sepulcro concamerato fuisse, in quo etiam cellulæ interdum erant variæ, *cameræ* dictæ, indicari videtur in lapide *Reinesii*, ubi diserte memoratur *monumentum cum camera:* *diætas* autem & *cœnacula* non equidem custodibus habitata fuisse censeam, sed potius peractas in illis annuas parentationes epulasque celebratas fuisse putem, quod ipsa *cœnaculi* & *diætæ* vox quodammodo innuere videtur: quantumvis sciam laudatum *Jac. Gutherium*, doctissimum virum, p. 1245. A. aliter opinatum fuisse: *Tabernæ*, ait, *cœnacula*, *diætæ*, *securitatis & custodiæ caussa monumentis adjecta sunt*: mecum facit *Humphr. Prideaux* in *Not. ad Marm. Sepulcr.* in

Ap-

Append. Marmor. Oxonienſ p. m. 316. cum *diætis* & *cœnaculis* conveniunt *triclinia* de quibus *Gothofredus* ad *Cod. Theod.* T. III. p. 159. —— denique *diſtega* erant ædificia duabus contignationibus inſtructa: v. de illis *Spon. Miſcell. Erud. Antiq.* ſect. IX. p. 291. ſq. eruditiſſ. *Gori* not. ad. *Donii Inſcript. Antiq.* claſſ. II. n. 187. p. 109. atque hæc de ædificiis prope ſepulcra ſtrui ſolitis: plura procul dubio habet *J. F. Eckhardus*, cujus *Comment. de ædif. & exornat. ſepulcrorum* Jen. 1747. laudat Gesuchte Erläut. der H. S. vol. I. tom. XIV. p. 561. Reſtat ut obiter inquiram an in ipſis etiam ſepulcris cuſtodes illi habitaverint: videretur quidem id aliquomodo elici poſſe ex *Edicto Prætoris* ap. *Ulpianum* l. 3. π. de *ſep. viol.* pr. ubi ait: *ſi quis in ſepulcro dolo malo habitaverit, ædificiumve aliud, quam quod ſepulcri cauſſa factum ſit, habuerit, in eum, ſi quis eo nomine agere volet, ducentorum aureorum judicium dabo.* ſcilicet dicat forſan aliquis, ſtatuitur hic exemplum hominis, qui dolo malo habitaverit in ſepulcro, quique ædificium habuerit, (prope ſepulcrum) cauſſa ſepulcri non ſtructum: opponi turque adeo illi, qui bono conſilio, nec dolo malo in ſepulcro habitaverit, quique ædificium habuerit ſepulcri cauſſa exſtructum: cum autem habitare in ſepulcro dolo non malo nemo poſſit, niſi tutelæ & cuſtodiæ cauſſa, patet ſervos cuſtodes in ipſis etiam ſepulcris habitaſſe: at vero nego equidem, ſepulcrum habitatione violari, niſi tutelæ cauſſa inſtituta: ſi enim quis refugii ſolum loco ſepulcrum habuerit, eo ipſo illud ſepulcrum non violabatur: v. omnino *Kirchm.* III. 22. ſin conſtanter ſemperque in eo morari habitareque voluerit, tum demum violati ſepulcri actio in eum intentari poterat: lege Ampl. *v. Niſpen* diſſ. de *Sep. viol.* cap.

XXIV.

XXIV. §. III. p. 91. hinc *conversationis humanæ attactu piaculum admitti* testatur *Jul. Paullus Recept. Sent.* Lib. I. tit. XXI. §. 12. p. 264. *Jurispr. Antejustinian.*

Ceterum cum his *sepulcrorum custodibus* conveniunt quodammodo *Martyrarii* qui recentiore ætate inducti etiam *custodum* nomine veniunt: de his præter *Du Cangium* in *Gloss. Med. Latin.* eleganter agit *Ed. Corsinus* Differt. III. ad *Græca quædam Marmora* §. X. p. LXI. sqq. post *Comment.* de *Notis Græcorum* Florent. 1749. Fol.

Interim omnis hic custodiæ culturæque apparatus, omnesque illi ritus adsidendi colendique & observandi sepulcri prudentioribus viris displicuerunt, præsertim Philosophis: hinc *M. Antoninus* Imp. Lib. VIII. *de Reb. suis* §. 37. p. m. 251. acriter hanc περιεργιαν perstringit: μητι νυν, inquiens, παρακαθηται τη τυ κυριου σωρω Πανθεια, η Περγαμος; τι δε τυ Ἁδριανυ Χαυριας και Διοτιμος; γελοιον. τι δε ει παρεκαθηντο, εμελλον αισθανεσθαι; τι δε ει ησθανοντο, εμελλον αυτοι αθανατοι ειναι; κ. τ. λ.

XII. Recensendis mediis dum occupamur, quibus usi homines sunt, ut hoc φυλλοβολιας & coronationis honore post mortem potirentur, non omittenda est pecuniæ mentio, cujus certam sæpe summam testamento statuebant, ex cujus reditu huic rei satisfieri posset: testantur hoc passim vetusta marmora; in quibus eminent, tum lapis *P. Petreji* sepulcralis, quem, non a *Sponio* solum in *Miscell. erud. antiq.* sect. II. artic. XI. p. 62. dudum editum, sed etiam a *Martino* repetitum, dans *La Religion des Gaulois* Tom. II. pag. 254. rursus tamen recoxit *Murator.* T. II. p. MCXCIX. 6. (male in *indice* p. MMCCCXXIII. v. *Petrejus* legitur p. MCXIX. 6.)

P. PE-

P. PETREIO. P. F. QVADRATO. ET. P. EVA
RISTO. LAIS. MATER. STATVAM. POSVIT. OB.
CVIVS. DEDICAT. [1] COLL. CENT. EPVLVM. EX. MORE
EX. IP. . . . [2] HS. XII. VT. QVODANN. *Sic* IN. PERPET
DIE. NATAL. QVADR. V. ID. APR. QVA
RELIQVIAE. EIVS. CONDITAE. SVNT. SACRI
FICIVM. FACERENT. AN. FARE. ET. LIBO. ET
IN. TEMPLO. EX. MORE. EPVLARENTVR. ET. RO
SAS. SVO. TEMPORE. DEDVCERENT. ET. STA
TVAM. DECERNT. ET. CORONARN. QVOD. SE
FACTVROS. RECEPERVNT.

tum Epitaphium Drusi ap. *Gruterum* p. CCXXXVII. 5. dein dimidia parte truncatum p. DCCXLVIII. II. quod miror nemini suboluisse:

TI. CLAVDIVS. DRVSI. CAES. AVG.
GERM. PONT. MAX. TRIB. POT. II
COS. DESIG. III. IMP. III. P. P. DEDIT
OB. MEMORIAM. PATRIS. SVI. DEC. VII
COLLEGI. FABRVM. M. R. H-S. cIↄ. N. LIBERALITATE
DONAVIT. SVB. HAC. CONDITIONE. VT
QVOTANNIS. ROSAS. AD. MONVMENTVM
EIVS. DEFERANT. ET. IBI. EPVLENTVR

DVM

1. *Joffredus* in *Historia Nicienst* & *Bouche* in *Historia Provinciæ* ap. *Sponium* habent COLIGENT: *Muratorius* in *nota* conjicit: COLL. DEND. *Collegium Dendrophororum*: omnium optime *Sponius Collegium* intelligit *Centonariorum*, quod probat etiam cl. *Saxe* in *Peric. Animadv. ad Murator.* p. 77.

2. EX. IP. . . .] lego EXHIBITVM.

DVMTAXAT. IN. V. ID. IVLIAS
QVOD. SI. NEGLEXERINT. TVNC. AD. VIII.
EIVSDEM. COLLEGII. PERTINERE. DEBEBIT
CONDICIONE. SVPRA. DICTA.

Sic & CASSIVS. EPITHYMETVS - - - - COLLEGIO. FABRVM . . . . IN. VTRVMQ. FLOREM. PERPETVO. SIBI. DEDVCENDVM. HS. ∞. TESTAMENTO. LEGAVIT. ap. *Donium* class. v. n. 205. p. 212. & *Murator.* p. DXX. 2. P. VIRVCATE. P. F. ET. VALERIAE. P. F. VRSAE. P. VIRVCAE. MAXIMI. N. ET. TERTIVS. OB. PARENTVM. MEMORIAM. DEDERVNT. COL*Legio. Nautarum Veronensium. Athesi.* CONSIST*entium.* H-S. III. N. VT. EX. REDITV. EIVS. QVODANNIS. ROSAS. EIS. DEDVCATVR. cet: ap. *Maffej. Mus. Veronens.* p. CXLVII. 1. & *Murator.* p. DXXVI. 1. OTITIVS. SEVERVS. COL*legio* NAVI*cl*A*riorum.* DEDIT. H-S. CCCC. AD. ROSAS. ET. ESCAS. DVCENDAS (*patri Otitio Sertoriano*) OMNIBVS. ANNIS. ap. *Murator.* p. DXXVI. 4. & T. III. p. MCCLXX. 6. adde lapides ap. *Gruterum* p. CCCCXXXV. 2. CCCCLX. 3. DCCLIII. 4. DCCCIII. 8. *Rubeum Monum. Brix.* class. XI. n. 26. p. 165. Tom. IIII. Part. II. *Thes. Antiq. Ital. Gudium* p. CCXLVIII. 8. longeque emaculatius in *Museo Veronensi* p. CCCLXIX. 5. *Gorium* Tom. II. *Inscr. Etrur.* p. 25. *Murator.* Tom. I. p. CDLXXIII. 7. DXXVII. 1. ex *Maffejo Mus. Veronens.* p. CXLVI. 3. porro Tom. II. p. DCCCLXVII. 8. (de eo lege ampl. v. *Lom* ad *vet. chir.* p. 45.) Tom. III. p. MCDIII. 12. *Thom. Porcacchi Funerali Antichi* p. 14. 18. 19. *Franc. Perucci Pompe funebri* Lib. II. p. 38. 39. 40. alibique: interdum mulctas omissioni statutas videre est, uti in marmore *Gorii* l. l. quod meretur ad scribi

M. NAE-

M. NAEVIVS. M. F.
GAL. RESTITVTVS
MIL. COH. X. PR. H. AQ.
QVI. RELIQ. TESTAM. COLL.
FABR. NAVAL. PIS. STATIONS
VETVSTISS. ET. PIISS. H-S. IIII.
N. EX. CVIVS. REDITV. PA
RENTAL. ET. ROSAR. QVOT
ANN. AD. SEPVLCHRVM
SVVM. CELEBRENT. QVOT
SI. FACTVM. AB. EIS. NON
ESSET. TVNC. EA. IPSA. CON
DICIONE. FABR. TIG. PIS
ACCEPT. PRO. POENA. A
FABR. NAV. H-S. IIII. N. IPSI
CELEBRARE. DEBEBVNT

& ap. *Murator.* Tom. I. p. DXXV. 3. SI. FACTA. NON. FVERINT. TVNC. FISCO. STACIONIS. ANNONAE. DVPLVM. FVNERATICIVM. DARE. DEBEBITIS.

XIII. Porro ut facilius rosæ floresque sepulcro possent injici, hortos & rosaria tumulis adponebant: clarissime hoc docet Epitaphium *L. Ogli Patrocli* editum præter *Gruter.* p. MXXI. 4. *Gudium* CCVII. 3. *Murator.* DXIII. 13. a *Manutio* in *Orthographia* v. SEQVVNTVR p. 708. ed. Venet. *Thomaso Porccacchio Funerali Antichi* p. 14. *Magio* II. *Miscell.*

cell. XVII. p. 1347. Tom. II. *Th. Crit. Bellor. descript. Sepulcri Nasonior.* Tab. XXXV. p. 1074. T. XII. *Th. A. R.*

L. OGIVS. PATROCLVS. SECVTVS
PIETATEM. COL. CENT. HORTOS. CVM
AEDIFITIO. HVIC. SEPVL. IVNCTO. VIVOS
DONAVIT. VT. EX. REDITV. EOR. LAR
GIVS. ROSAE. ET. ESCE. *Sic* PATRONO. SVO
ET. QVANDOQVE. SIBI PONERENTVR

docet etiam lapis Brixianus ap. *Octav. Rossi Memorie Bresciane* class. XI. n. 19. p. 294. ed. *Brix.* (p. 163. Tom. IIII. *Thes. Antiq. Ital.* Part. II.) & non sine discrimine ap. *Murator.* Tom. I. p. DXVII. 6. ubi AGELLI mentio occurrit, quem COLL*egio* FABR*um* MANCIPA*sse* fertur VALERIA. VRSA. VT. EX. REDITV. EIVSDEM. AGELLI. . . . . ROSAE. . . . IN. . PERPET*uum*. *sibi. ponerentur*: hinc eleganter HORTI. ITA. VT. OPTIMI. MAXIMIQVE. SINT. CINERIBVS. SERV*ire* dicuntur, utpote EX. QVORVM. REDITV. CVRATORES. PRAEBEANT. ROSAM. IN. PERPETVVM. ap *Gruter.* p. DCXXXVI. 12.

Quoniam vero tanta olim cura adfligebantur homines de hoc honoris genere post mortem accipiendo, amici sæpe numero & cognati in ipsis cipporum titulis præstita hæc a se officia testabantur: tale hoc *Timarchi* ap *O. Rossi Memorie Bresciane* p. 163. ed. *Brix.* p. 58. vers. Lat. & *Murator.* p. CCI. 1.

D. M.

D. M.
L. LVCRETI
EPHORI. VI. VIR.
AVG. AMICO. CARISS.
ET. STATIAE. VERAE
CONIVGE. *Sic.* HVIVS. DOMNE[1].
MEAE SANCTISSIMAE. ET
AMICAE. CARISSIMAE. IIS.
ARAM. POSVIT
ET. ROSAS
AVRELIVS. TIMARCVS
AETERNVM

XIIII. Sic

1. DOMNE.] pro DOMNÆ. ſic BONE. MEMORIE. PALENOPE. in lapide a *Theod. Ruinarto* edito ad *Gregor. Turonenſem* p. 1389. contra QVAE pro QVE & AEORVM pro EORVM ſupra vidimus not. ad *Conſp. Marm.* N. IIII. p. 9. 10. *Domna* eſt pro *domina*, uti recentiori tempore ſolebant: notum eſt illud *Oppiani* Lib. I. *Cyneget.* 4.

Αυσονιου Ζηνος γλυκερον θαλος Αντωνινε·

Τον μεγαλη μεγαλῳ φυτευσατο ΔΟΜΝΑ Σεβηρῳ·

v. tamen de hoc loco *Fabrum* ad *Phœdri* II. fab. v. 14. conf. *Sert. Orſato Marmi Eruditi* Lett. I. p. 4. *Schlichter. Decim. Sacr.* Obſ. XVI. p 149. *E. Merillium* I. *Obſerv.* XXXVI. p. 36. Tom. I. Opp. ed. Neap. *Jacut. Specim. Antiq. Chriſt.* Exerc. I. p. 21. qui vocabulum hoc aureo ævo contra *Barthium* XXIX. *Adverſ.* 19. p. 1323. vindicat:

XIIII. Sic vidimus aliquot media & artes, quorum ope hoc suo voto potiti fuerunt, restant duo adhuc modi, quibus eadem in re utebantur, præcipue vilioris conditionis homines: minoris illi quidem momenti, memorabiles tamen, alteruter saltem, utpote discussioni nondum subjectus: scilicet tum prætereuntes de injiciendis sepulcro floribus in inscriptione ferali monebant; tum etiam flores corollasque istas, quæ ab aliis monumento imponebantur, illi ipsis cippis insculpi curabant, ut sic perpetuis & perennaturis floribus etiam media hyeme ornati honoratique cubarent:

De priori genere, cum jam ante verbum injicere meminerim, nec sua difficultate res laboret, pluribus hic disputare nolo: v. §. VII. hujus Cap. p. 80. sqq. de altero elegantior differendi erit materies:

Non dubito equidem, fore non nullos, qui hanc opinionem meam de insculptis illis floribus, quales frequenter in cipporum imaginibus expressos videmus, ut inanem & nugacem explodant: quippe ridiculum esse censent, opinari aliquem velle, tam levi & puerili ornamentorum & honoris genere delectari homines potuisse, ut non solum injici veros flores tumulis suis desiderarent, sed & fictos lapideosque flosculos expeterent, cum Ixione quasi nebulam pro Iunone prensantes: Enimvero reputent illi, tum de coronarum desiderio in genere, eandem rem esse fictorum flosculorum quam naturalium: imo perenne, nec nisi cum ipsis sepulcris periturum, insculptarum corollarum ornamentum, eo ipso magis se commendare, quam quidem earum, quæ ex veris, brevique adeo marcescentibus, floribus erant contextæ: tum de inepta &, si rem ipsam consideres, vere puerili naturæ imita-

imitatione & repræſentatione, nihil id mirum evenire, ſi quis reliquos id genus mores gentilium cum hoc ritu comparare inſtituerit, qui ſæpiſſime ſuperſtitioſa nugacitate & fatuitate adeo laborabant, ut ipſis interdum paganis prudentioribus nauſeæ & faſtidio fuerint: ipſe rem hac ratione concipio: Pauperiores non nulli e gentilibus, qui tantas locare impenſas non poterant, ut vel ſervos ad ſepulcra conſtituerent, qui ea ſolemni ritu ſtatoque tempore coronarent, vel certam pecuniæ ſummam legarent, vel hortos monumentis adſignarent, ex quorum reditu flores tumulis injicerentur, cupiditate tamen honoris iſtius & ornamenti ſolemnis impulſi, maluerunt inſculptis adfictisque floſculis & coronis cingi, quam aut ad favorem feſtinantis viatoris confugere, aut in perpetuum jucundo iſto ornatu deſtitui:

Haud leviter conjecturæ noſtræ favet *Trimalchio*, qui ap. *Petronium* Cap. LXXI. *quid dicis*, inquit, *amice cariſſime? ædificas monumentum meum, quemadmodum te juſſi? valde te rogo, ut ſecundum pedes ſtatuæ meæ catellam PINGAS, & CORONAS, & unguenta:* cet. vides *coronam* in ſepulcro *pictam: Schefferus* pariter & *Heinſius* malunt *fingas:* ſed eodem redire docuit Cel. *Burm.* utcunque illud ſit, certe haud leve ſententiæ meæ pondus addit:

Corollas ejusmodi inſculptas in marmoribus ſæpiſſime videre licet: nunc nomino duntaxat *Gorium* Tom. I. *Inſcr. Etrur.* p. 355. ubi illuſtre habetur exemplum: vide quomodo deſcribat Vir doctus not. ad h. l. *Sepulcralis*, ait, *hic titulus foliaceis encarpis eleganter pendentibus coronatus eſt: conſueverunt veteres tum Deorum Manium aras & cippos, tum ſepulcrales epigraphas, unguentis perfundere, & corollis ornare:* jungi poſſunt marmora

ibid. p. 391. 395. 407. alibique haud raro: nec injuria huc etiam trahas ferta illa, quæ defunctorum imagines, jacentium habitu cippis Etruscorum sepulcralibus impositorum, manu tenent: uti in *Museo Etrusco* Tom I. tab. CXCI. n. I. II. & præcipue tab. CLXXX. ubi illustre habetur exemplum: conf. eruditissimas editoris, *Gorii*, dissertationes Tom. II. p. 400. Fateor res sæpe sua difficultate non destituitur: si enim omnes in genere coronas & serta, quæ quidem in lapidibus occurrunt, huc trahere velis, graviter haud raro erraveris: si quidem etiam coronarum, quas in ludis victoriisque paraverant, imagines cipporum frontibus insculpi curabant: lege doctissimum *Sert. Orsatum Marmi Eruditi Lett. Quinta* p. m. 93. sic v. c. dubitari potest de corona cippo militari adficta ap. *Gruter.* p. DXXIII. 7. & DXXXV. 7. ne quid alia memorem: in primis in marmoribus Græcis, quæ Smyrnæ eruuntur, exempla hujus rei occurrunt: in quibus memoria magistratuum a civibus coronata nude sæpe per coronam exprimitur: inspice *Marmora Oxoniensia* quavis fere pagina: & conf. Cel. *Oudendorp.* in *Descript. Legat. Papenbroeck.* n. XXV. p. 24. sq.

Uti autem non coronas tantum, sed & flores solutas injici sepulcris cupiebant, sic & in ipsis cippis imo urnis feralibus, non serta duntaxat, variosque encarpos, sed etiam rosas aliosque flores, nullo inter se nexu aptatos, sculpi fingique voluerunt: talem ornatum, passim in vetustis saxis obvium, videbis nominatim ap. *Gorium Inscr. Etrur.* Tom. I. p. 214. 227. 272. 342. 343. 382. 405. 409. 444. 452. &c. tum in *Museo Veronensi* p. XLVII. 2. LI. 8. ap. *Gruterum*, *Muratorium*, aliosque sæpe: videbis porro in fronte cippi sepulcralis M. INGONII.

MAR-

MARCELLI, ante aliquot annos prope hanc urbem eruti, cujus titulum edidit *Maffejus* in *Adpendice Musei Veronensis*, quæ *Inscriptiones varias*, unde cunque in Itinere suo ab Illustri viro collectas p. CCCCL. 7. ipsum vero marmor, cujus imaginem non dedit *Maffejus*, elegans adhuc, necdum injuria temporis læsum, emtionis jure in me derivatum servo: denique etiam in Christiano cippo ed. in *Voyage Literaire des deux Religieux Benedictins de La Congregation de St. Maur* Tom. I. p. 162. binas rosas insculptas cernes: Interim lubentissime cognovi, opinionem hanc meam de rosis floribusque singularibus, passim marmoribus insculptis, adrisisse etiam *Gorio*, viro excellenti eruditione; qui T. III. *Inscr. Etrur.* p. 17. binos exhibet cippos, quorum fronti rosa adfixa conspicitur: in Observationibus autem cultissimis ad hos lapides p. 20. hunc in modum scribit: *In reliquis duobus cippis nullum ornamentum notandum superest, nisi rosæ inter D. M. positæ, quæ indicant veterum consuetudinem spargendi rosas in funeribus, & in sacris Deorum Manium, quod ut fieret quotannis, reditus etiam ex pecuniis testamento adsignabant, quod in saxis frequenter expressum legitur:* conveniunt, quæ de *urnis Thomaso Porcacchi* habet in *Funerali Antichi* p. 14. 15. & recte quidem, si quid in his mihi videre contigit: quantumvis enim ornamenti caussa ejusmodi sæpe corollas, encarpos, rosas, tumulis tumbisque adficta fuisse, ac propterea sculptorum interdum lusibus tribuenda esse, haud male doceat cl. *Oudendorp. Descr. Legati Papenbroeck.* n. XVIII. p. 19. & n. XXXII. p. 29. non tamen video, cur floribus fertisque istis hunc interdum usum adscribere minus possimus, cum constet, corollas ejusmodi haud raro etiam

peculiari ſignificatione gaudere, uti jam probavimus p. 118. imo ulterius proceſſit *Velſerus*, vir doctiſſimus, qui floſculis iſtis, quos in cippis obſervabat, ſemper hieroglyphicam tribuebat notionem, ut qui imbecilitatis humanæ argumentum præberent: v. notas ejus ad *Monum. Vet. Aug. Vind.* n. XXIX. p. 386. n. XXXIIII. p. 388. etiam p. 412. Opp. ubi diſerte, *lapidi*, inquit, *ad dextrum latus roſæ inſculptæ conditioni humanæ vitæ teſtandæ:* —— adde *Eſcuchii* conjecturam de *palmis*, cippis ſepulcrorum Regiorum inſculptis, quam ſupra memoravimus Cap. III. §. III. p. 59. —— eodem modo hederaceam coronam, marmori inſculptam, teneram infantis ſacrificuli ætatem deſignare agnoſcit *Fabrettus* not. ad Cap. V. *Inſcr.* p. 429. G. H. —— tandem *Trimalchio* ille *Petronianus*, homo vaniſſimus, contentus erat, modo *pomorum* imagines, *vitium* racemos, aliarumque id genus delitiarum icones monumento ſuo inſculperent: ſic certe verba ejus ap. Satyricum Cap. LXXI. expoſuit Cel. *Burmannus:* dixerat quippe: *omne genus etiam pomorum volo ſit circa cineres meos & vinearum largiter:* quæ licet omnes interpretes de hortis ſepulcro jungendis explicarent, aliter tamen viſum cl. editori fuit, qui de externis monumenti ornamentis intelligenda eſſe cenſebat, quoniam ſpatium, antea ſepulcro adſignatum, capiendis hortis & pomariis non ſufficeret: & ſane tum difficultas tollitur, quæ de anguſto areæ ſpatio moveri potuiſſet: modo ne potius in numero definiti ſpatii, quam in detorſione loci, quærendus ſit verborum intellectus: —— Denique ſic & Etruſci, qui gladiatores ad ſepulcra depugnantes conducere non poterant, eorum imagines ſepulcris inſculptos habere malebant, quam omni hoc honore prorſus deſtitui; uti egregie

do-

docet *Bonarota* in *Explicat. & Conject. ad Monum. Vetusta* operis Demsteriani Tomo II. additis §. XVII. p. 39. 40. adde *Gorium Musei Etrusci* class. IIII. tab. CLXXX. p. 374. sqq. Tom. II. —— Cæterum non miscenda cum his flosculis, de quibus diximus, sunt foliola illa, quæ interdum distinctionum punctorumque locum in marmoribus obtinere videmus: præcipue si recentiorem respexeris ætatem, quæ in hisce nugis sæpius mire fuit ingeniosa: hæc autem suo jure meros sculptorum lusus dixeris: v. exemplum in fine lapidis *Fabrettiani*, supra a nobis in *Consp. Marm.* exhibiti N. III. p. 9. & conf. *Reinesium*, *Fabrettum*, aliosque, quos indicat *Hannibal ab Abbatibus Oliverius* in *Notis* cultissimis ad *Marmora Pisaurensia* n. IV. p. 17.

XV. Expositis, quæ in enarratione alterius CEPOTAPHIORVM generis memoratu videbantur digna, lubenter huic capiti colophonem imponerem, nisi restaret examinanda caussarum ratio, quibus impulsi olim homines fuerunt, ut tanta cura corollas ejusmodi & flores tumulis suis vel adponi, vel injici, vel insculpi desiderarent:

Variæ hic quidem adferuntur a Viris doctis rationes, ut plurimum tamen vanæ & nullius momenti, imo plane falsæ: has ne quidem memorare, multo minus morari aut refellere dignabor: interim uti rectissime simplicitas veritatis mater esse perhibetur, ita in his etiam rebus simplicitatis rationem unice habendam esse, nemo sanus negaverit: quæque ad eam maxime accedunt, eæ demum caussæ in vero simillimis sunt habendæ: His autem simplicitatis legibus non equidem repugnare crediderim elegans viri prudentis responsum, quod vulgo *Epicteto* Philosopho tribuitur, legiturque in ejus *altercatione*, ut vocatur, *cum Hadria-*

driano Aug. editionibus *Enchiridii* jungi solita, etiam a *J. A. Fabricio* repetita Lib. VI. *Biblioth. Græcæ* Cap. X. p. 561. Tom. XIII. ibi roganti Imperatori, *quare mortuus coronatur?* respondet Philosophus: *agonem se vitæ transegisse testatur:* quæ verba fortassis ob oculos habuit *Suidas* v. μελιτȣτ]α p. 527. Tom. II. ed. *Cantabrig.* ubi ιςεον, inquit, ὅτι μελιτȣττα εδιδοτο τοις νεκροις, ὡς εις τον κερβερον· και οβολος, μισθος πορθμει· και ΣΤΕΦΑΝΟΣ, ʽΩΣ ΤΟΝ ΒΙΟΝ ΔΙΗΓΩΝΙΣΜΕΝΟΙΣ· quantumvis enim proprie de ipso cadavere sermo hic fiat, ejusque coronatione, nihil tamen impedit, quo minus etiam ad φυλλοβολιαν, apud sepulcra exercitam, referas: interim si non vera sit hæc ratio, elegans tamen est & scite excogitata: vitam hominum non solum *viæ* comparari, (v. *Wolf.* ad *Liban. Centur. Epp.* XCIIX. p. 288. sq. 1.) sed & *stadio* passim conferri, in quo currendo certabatur, ut coronam reportarent, nemini ignotum est, & vel ipsa illa locutio, qua *vitæ cursum* dicimus, demonstrat: unde Poëta: *Vixi, & quem dederat cursum fortuna peregi:* conf. *Pet. Victorium* XXII. *Variar. Lection.* XXII. p. m. 612. 613. ed. *Argent.* adposite prorsus *D. Paullus Timotheo* suo scribit: Τον αγωνα τον καλον ηγωνισμαι, τον ΔΡΟΜΟΝ 2. τετελεκα, την πιςιν τετηρηκα· λοιπον απο-

1. Hinc derivandam etiam caussam esse putem, cur *religio* etiam *via*, ὁδος, passim adpelletur: v. *Casauboniana* p. 92. & *J. C. Wolfii* notas p. 292. *Keuchenii Obs. S. ad A. A.* XIX. 9. p. 304. ed. *Alberti:* religio enim est vitæ genus & institutum ad normam quandam: atque hinc quoque Philosophiam ὁδον dici ex *Jamblicho* ibidem docet *Casaubonus:* quasi dicas *vitam Philosophicam*, ad Philosophorum mores formatam:

2. ΔΡΟΜΟΝ] male profecto vocem intellexerunt *Theophylactus* in *Comment.* p. 829. ed. *Lindselli* & ex eo forsan *Oecumenius Comment. ad h. l.* p. 279. B. C. Tom. II. Opp. cur-

ἀποκειται μοι ὁ της δικαιοσυνης ΣΤΕΦΑΝΟΣ [1] ὁν αποδωσει μοι ὁ κυριος εν εκεινῃ τῃ ἡμερᾳ, ὁ δικαιος κριτης· 2. Timoth. IV. 8. eleganter eriam *Greg. Nazianzenus* in *Carmine de se ipso* vs. 3. ap. *Tollium Insign. Itin. Ital.* p. 4.

Ὡς αν πλειως [2] ωμεν ηγωνισμενοι,
Και μισθαν ελπιζωμεν εντελεστερον.

Sed alia adhuc eſt ratio, priore uti ſimplicior, ita magis etiam veritati propinqua: ſcilicet notum in vulgus eſt, quanto ſemper in honore coronæ non ſolum, ſed & ipſi flores fuerint habiti: his felicitatis, illis dignitatis argumentum & indicium præbentibus: utraque decoris & gaudii inſignia Romani jungebant, qui adventantem Commodum Imp. ευφημιαις τε παντοδαπαις και ΣΤΕΦΑΝΩΝ, και ΑΝΘΕΩΝ βολαις ὑποδεχοντο: ut eſt ap. *Herodianum* Lib.

curſum hunc de Itineribus Paulli explicantes: τον δρομον τετελεκα (inquit *Oecumenius*) περιεδραμε γαρ την οικυμενην, παντας εις θεογνωσιαν αγων· ὡςε απο Ιερυσαλημ και κυκλῳ μεχρι τυ Ιλλυρικου πεπληρωκεναι το ευαγγελιον. ſervat enim *D. Paullus* elegantiſſimam illam deſumtionem, ſeu μεταφοραν, qua locutiones, ab athletis, iisque qui currendo certabant, derivatas, miniſterio ſacro, vitæque recte tranſactæ applicat: eodem modo, quo *Virgilius*, *peractum curſum* memorat l. c. quem ſi de itinere explicare quis vellet, riſu haud dubie exciperetur:

1. ΣΤΕΦΑΝΟΣ.] conf. *Schotti Adagialia Sacra* ad Cap. II. hujus Ep. vs. 5. p. 137.

2. πλειως] deficiente & ſenſu, & in verſu ſyllaba, ſubſtitue, me obſide, τελειως·

Ὡς αν τελειως ωμεν ηγωνισμενοι,

id eſt, ut ita dicam, *finaliter*, ut nihil reſtet ſuperandum, vincendumque: & ſic pulcre conveniet *Paullino* ΤΕΤΕΛΕΚΑ τον δρομον: *abſolvi curſum meum, & ad finem perduxi.*

Lib. I. Cap. VII. p. 21. junge quæ habent *Lipſius* ad *Tac.* XIV. *Annal.* LXI. *Boeclerus* ad *Herodian.* p. 370. ſenator *Buonaroti* in *Oſſervazioni ſopra i medaglioni antichi del Muſeo di Carpegna* Tab. XXVIII. n. I. p. 364. *Barthius* XXXIV. *Adverſar.* IX. p. 1562. *Schlichterus Decim. Sacr.* Obſerv. XXII. *de Corona R. Ammonit.* §. I. p. 199. *Dempſterus Etrur. Regal.* Lib. III. Cap. LXI. p. 300. ſq. Tom. I. hinc *coronare* prò *honore adficere* argumento *Suidæ* p. 373. Tom. III. ΣΤΕΦΑΝΩΝ τȣς νενικηκοτας, αντι τȣ ΤΙΜΩΝ· cet. conf. *Harpocrationem v.* ϛεφανων· p. m. 322. & quæ habent *Olearius* ad *Philoſtr.* I. *Vit. Sophiſt.* XXV. p. 530. & *Sebaſt. Donati de Dittici degl'antichi profani e ſacri* Lib. III. Cap. I. (in Lucca 1753. 4to.) de *floribus* felicitatis ſigillatim ſignis ſupra jam quædam occupavimus Cap. V. §. VI. p. 74. nunc de *coronis* duntaxat addo, & has non honoris tantum, ſed & gaudii lætitiæque cauſſa fuiſſe adhibitas: hinc ap. *Arrianum* jungitur εϛεφανωμενη τε και παιζȣσα *de Exped. Alexandri* Lib. VI. p. m. 269. ed. *Gronov.* conf. omnino *Barn. Briſſonium* Lib. II. *de Regio Perſarum principatu* Cap. CCXXXIV. p. m. 598. 599.

Hinc autem facilis ad conjiciendum eſt ratio fluxiſſe opinionem illam gentilium receptiſſimam, qua credebant floribus iſtiusmodi & corollis tam mirifice manes defunctorum delectari: quod clariſſime docet *Plinius* major XXI. 3. *Jam tum CORONÆ*, inquiens, *Deorum honos erant*, & *Larium publicorum*, *privatorumque*, *ac ſepulcrorum*, & *MANIUM*: —— præterea peculiaribus florum generibus ſuæ etiam peculiares erant cauſſæ, cur in ſepulcris deſiderarentur: de his ſupra in explicatione ανθοβολιας diximus §. VI. hujus Cap. p. 73. ſeqq. —— Denique hac ratione Manes illi quodam-

dammodo in ſtatu felicitatis & Elyſiis Campis verſari credebantur; quos vario florum arborumque genere conſpicuos, & perpetuo quodam vere jucundos eſſe opinabantur: qua de re luculentius §. penult. Cap. vi. diſputabimus. —— atque hæ potiſſimum ſunt cauſſæ, quas equidem in veroſimillimis habeo, cur tantopere flores corollasque ſepulcris ſuis injici homines deſideraverint, præſertim gentiles:

Chriſtianos martyrum ſuorum ſepulcra ideo coronis ornaſſe multi cenſent, ut ſic martyrium fidemque illorum firmatam & conſtantem adumbrarent; quam *coronæ* & *coronationis* titulo inſignire erant ſoliti: v. *Aringhii Romam Subterran.* Tom. I. p. 82. A. & T. II. p. 368. A. & junge *Buonaroti Oſſervaz. ſopro i vaſi di vetro* Tab. xix. p. 133. ſqq. memorabilis hanc in rem eſt *S. Gregorii Turonenſis* locus, qui Lib. I *de Mirac. S. Martini* Cap. II. p. 1002. ed. Pariſ. *Chunum quendam rabidum, dæmonis inſtinctu actum, CORONAM, QVÆ SANCTI MERITVM DECLARABAT, arripuiſſe* narrat: quibuſcum convenit etiam *Paullinus* Lib. vi. *de vita Martini* vs. 213.

Horum unus, ſtimulis furioſi Dæmonis actus,
Irrupit ſacram domini, prædo improbus, ædem;
Inde altare Dei greſſu temerare profano
Auſus, & inſtinctu furialia vota ſecutus
Abripuit ſanctam, tumulo vellente, CORONAM,
QVÆ MERITVM SANCTI propter conjuncta DOCEBAT:

Ex quibus clare videtur elici poſſe *coronam* hanc, *fir-*

firmatam Martini *fidem* emblematice indicaſſe: nec enim literis notatam illam fuiſſe crediderim: — forſan huc etiam non male traham *palmas* illas, quas ſæpiſſime in cippis chriſtianorum obſervare licet; ap. *Aringhum*, *Boldettum*, *Lupum*, aliosque: etiam in *Voyage Literaire des deux Benedictins* Tom. I. p. 162. *palmas* enim *victoriæ* ſymbolum nunquam non fuiſſe habitas quis neſcit? eleganter *palmas* & *coronas* eadem fere in re jungit *D. Proſper Aquitanicus* Epigr. XXIII. *de paſſionibus Sanctorum* vs. 5. p. m. 485. Opp. ed. Colon.

Creſcunt virtutum PALMÆ, creſcuntque CORONÆ;
Vincuntur mundi prælia pace Dei:

& ſane amarunt Chriſtiani hieroglyphicas figuras in ſepulcris ſuis: unde toties in iis *columbas* videmus, *innocentiæ* ſymbola: *ancboras*, *ſpei* indicia: & id genus alia, *palmas*, *coronas*, *uvas*, *ſtellas*, *corda ardentia*, *phœnices*, *oves* [1] &c. in primis *piſces*, [2] &

1. *Oves* ſimplicitatis, clementiæ, humanitatis &c. argumentum præbebant; cujus fere emblemata habentur: v. *Jo. Herm. Schacht Obſerv. Philol. in Matth.* x. 16. p. 252. ſq. *Bibl. Brem. Novæ* claſſ. I. faſcic. II. vel reſpiciebatur etiam ad Chriſtum, quem ſub forma *Agni* veteres Chriſtiani, pariter ut recentiores Pontificii, pingere ſolebant: v. *Buonaroti Oſſervaz. ſopra i vaſi di vetro* p. 45 46.

2. *Piſcis* imaginem ſi adderent, reſpiciebant ad Græcum *ιχθυς*, cujus literæ ſingulæ initiales ſunt nominis *Chriſti*: Ιησυς Χριστος Θευ Υιος Σωτηρ: v. præter *Aringhum* & *Boldettum*, quæ habent *J. Mabillon* diſſ. *ſur le culte des Saints inconnus* p. 51. (ed. Pariſ. 1698. 8vo.) *Buonaroti Oſſervaz. ſopra i vaſi di vetro* p. 17. *Fabrett. Inſcr.* Cap. VIII. p. 568. ſqq. *Lupi ad Epit. Severæ* p. 103. *Io. de Vita Theſ. Antiq. Benev.* diſſ. XI. p. 298. ſq. not. *Venuti* in *Muſeo Cortonenſi* tab. LXXXV. p. 121. 122. Cel. *Voget* Orat. *de Natatil: ad aram Jehovæ non factis* p. 69. 70.

& *monogrammata nominis Christi* 3. ——— aliam adhuc caussam in medium adfert *Clemens Alexandrinus* Lib. ii. *Strom.* Cap. viii. nimirum Coronam esse securitatis, & remotæ a negotiis turbisque vitæ, indicium: eamque adeo mortuis haud male convenire, præcipue iis qui bene pieque in Christo obierant: conf. *Nicolaum de Luctu Christian.* p. 92.

C A P. VI.

I. *Tertium CEPOTAPHIORUM genus: definitio horti proprie sic dicti, ejusque partes variæ: ostenditur sepulcrum Jannes & Jambres in horto,* ἰδίως *sumto positum fuisse: locus Palladii exhibetur: vocis* κηποταφιω *vera lectio contra Hammondum adseritur:* II. *Sepulcra in hortis, proprie sumtis, apud Ægyptios: narratio Palladiana examinatur:* III. *Etiam apud Hebræos: sepultura intra urbem honoris indicium: sepulcrum Christi Domini exponitur:* IIII. *Cepotaphia apud Græcos recepta:* V. *Et apud Romanos:* VI. *Etiam a Christianis usu servata: Inscriptio Græca insignis exhibetur:* quiescere & dormire *de morte: Nonnus defenditur contra Heinsii censuram: duo insignia marmora emendantur.* VII. *singulæ Cepotaphii partes exami-*

3. Id est P. inter X. ponebaturque sæper inter A. & Ω. respectu *Apocal.* i. v. *Victorii* & *Menckenii* diss. de *Monogramm. Christi* & *Donati de Dittici degl'antichi* L. iii. c. i. not. i.

minantur: ac primum de arboribus, floribus, & aqua disputatur: VIII. *Tum de maceria & septo copiosius differitur; eorum variæ appellationes explicantur: materia etiam, ex qua struebantur, enarratur:* VIIII. *Caussæ; cur in hortis sepulcra fuerint posita, considerantur:* X. *Diatribæ epilogus & conclusio.*

I. Restat exponenda tertii CEPOTAPHIORVM generis ratio: nec enim solis duntaxat arboribus sepulcra incingebantur, neu solis etiam floribus interdum homines erant contenti, sed utrisque sæpe numero junctis tumulos suos amœnissimo viridario includebant, cui tum sæpe addebantur rivi, fontesque, cepotaphium illud ad summum amœnitatis decorisque fastigium evehentes: Certe sepulcra illa, quæ non arboribus solum, & rosetis, sed & alio quorumlibet florum περιβόλῳ, tum gramine, reliquisque plantarum generibus, & denique accedente etiam jucundo leniter fluentis rivuli cursu, ornantur, ea demum vere dici posse, in *horto* esse sita, propria & receptissima *horti* notio abunde declarat: siquidem in *horto*, ἰδίως accepto, desiderari hæc omnia soleant: Ut vero melius res intelligatur, operæ pretium erit, accuratam *horti* descriptionem, ex vetusto quodam scriptore excerptam, Lectori exhibere: tumque singulas, quæ in eo occurrunt, *horti* partes memoratu dignas diligentiori examini subjicere, demum omnia an conveniant *Cepotaphiis*, & in iis revera exstiterint, inquirere? sicque facillime memorabilem hunc antiquorum ritum intellige-

mus;

mus, unde haud modica ſepulturæ Domini noſtri JESV CHRISTI lux adfunditur:

Elegantiorem magisque omnibus numeris abſolutam *horti* imaginem nuſpiam equidem legere memini illa, quam nobis cultiſſimus ſcriptor *Achilles Tatius* exhibuit Lib. I. *de Clitoph. & Leucippe* p. 50. ſqq. ed. *Salmaſ.* longluſcula tamen illa eſt, unde integram non auſim exſcribere; licet elegantia tamen ſua, miroque ingenii pariter & dictionis nitore legenti adeo blandiatur, ut ignarus hæreas, magisne amœniſſimi illius, quem deſcribit, hortuli deſiderio flagres, quam mirifica ipſius narrationis ſuavitate capiaris: ne tamen legentis otio videar quodam modo abuti, præcipua modo huc transſcribam, quæ potiſſimum noſtro ſervire inſtituto poſſint: Ἠδε, inquit de puella loquens, ἦν εν τῳ ΠΑΡΑΔΕΙΣΩι της οικιας· ὁ δε παραδεισος ΑΛΣΟΣ ην, μεγα τι χρημα προς οφθαλμων ἡδονην· και περι το αλσος ΤΕΙΧΙΟΝ ην, αυταρκες εις ὑψος· . . . . τα δε ΑΝΘΗ ποικιλην εχοντα την χροιαν, εν μερει συνεξεφαινε το καλλος, και ην τυτο της γης πορφυρα, και ΝΑΡΚΙΣΣΟΣ, και ῬΟΔΟΝ . . . . εν μεσοις δε τοις ανθεσι ΠΗΓΗ ανεβλυζεν, και περιεγεγραπτο τετραγωνος χαραδρα χειροποιητος τῳ ῥευματι· το δε ὙΔΩΡ των ανθεων ην κατοπτρον· ὡς δοκειν το αλσος ειναι διπλουν, το μεν της αληθειας, το δε της σκιας· ΟΡΝΙΘΕΣ δε οἱ μεν χειροηθεις περι το αλσος ενεμοντο. . . . . οἱ δε ελευθερον εχοντες πτερον κ. τ. λ. alias hortorum deſcriptiones ſi quis, poſt abſolutiſſimam *Achillis* diligentiam, forſan adhuc deſideraverit, adeat *Longum* Lib. IV. *Paſtoral.* p. 141. ſqq. *Ariſtænetum* Lib. I. *Ep.* III. conferatque *hortorum* definitiones ap. *Fritſchium* diſſ. *de Jure hortorum* p. 742. ſq. *Opuſc. Varior.* de Regiis Perſarum hortis luculenter agit *B. Briſſonius* I. *de R. Perſar. Principatu* LXXVIII. p. m. 107.

Ex his autem hortorum deſcriptionibus præcipue

cipue *Achillis Tatii*, patet in horto proprie ſumto quærenda eſſe 1. *arbores*. 2. *flores*. 3. *aquam*. 4. *maceriam* ſive *ſeptum*, quo horti fines ab agris contiguis ſecernuntur: ſingulas has partes conferamus cum imagine *horti*, in quo ſepulcrum fuit *Jannes* & *Jambres*, diſerto CEPOTAPHII titulo inſignitum: ſiquidem *Palladius*, in *Hiſtoria* ſua, quam quia *Lauſo* cuidam inſcripſerat, *Lauſiacam* appellavit: Cap. XXII. ubi de *S. Macario Alexandrino* agitur, luculentam hujus monumenti memoriam ſervavit: quæ quaſi fundamentum eſt ritus illius condendorum in hortis cadaverum: ut pote in qua omnes *Cepotaphii* partes diligentiſſima enarratione exponuntur: Locum hunc integrum operæ pretium erit Legentium oculis expoſuiſſe: dabo autem ex editione *Jo. Meurſii* Lugd. Bat. 1616. 4to. exſtat etiam *Palladii* Liber ap. *F. Ducæum* in *Auctario Patrum* Tom. II. p. 926. ſed id videre mihi non licuit: *Gentiani* vero *Herveti* interpr. Lat. dedit *Herib. Rosweidus* in *Vitis Patrum* Lib. VIII. p. 722. ed. Antverp. 1628. Fol. conf. *J. A. Fabric. Bibl. Græcæ* Lib. V. Cap. 32. p. 5. ſqq. Tom. IX. ſigillatim narrationem illam de *Janne* & *Jambre* quæ proprie huc ſpectat, excerpſit *Hofmannus* in *Lexico* ſuo v. CEPOTAPHIUM: & locupletius *J. A. Fabricius* in *Cod. Pſeudepigr. V. T.* Tom. II. p. 106. ſqq. junge *Sam. Bochartum* Lib. II. *Hierozoici* Cap. LIII. p. 644. ſqq. Tom. I. Opp.

Excerptum ex *Palladii Hiſt. Lauſiaca*
Cap. XXII. p. 44. ed. *Meurſii*:

Επεθυμησεν ποτε ὗτος ὁ αυτος, (de *Macario* Alexandrino loquitur) ὡς αυτος ἡμιν διηγησατο, εις το ΚΗΠΟΤΑΦΙΟΝ εισελθειν τυ Ιαννυ και Ιαμβρου

βρου [1], των μαγων των επι τω Φαραω, χαριν ισοριας, η και συντυχιας των εκεισε δαιμονων· ελεγετο γαρ παμπολλυς και χαλεπυς αποκεκληρωσθαι παρ' αυτων εκεινων τω τοπω εκεινω δαιμονας, δι' υπερβολην της ατιμου τεχνης αυτων· τυτο δε ΚΗΠΟΤΑΦΙΟΝ γεγονεν παρ' αυτυ τυ Ιαννυ και Ιαμβρυ, των αδελφων, δι' υπερβολην της μαγικης τεχνης τα πρωτα εχοντων κατ' εκεινο καιρυ παρα τω Φαραω· Πολλην κεκτημενοι την δυναςειαν την εν Αιγυπτω εν τω της ζωης αυτων χρονω, εκ τετραπεδων λιθων [2] εκτισαν το εργον εκεινο, εν αυτω μνημα πεποιηκοτες, και χρυσον πολυν αποθεμενοι, [3] εφυτευσαν δε και ΔΕΝΔΡΑ παντοια, και ΦΡΕΑΡ ΥΔΑΤΟΣ μεγιςον ωρυξαν, υπιγμος [4] γαρ εςιν υτος ο τοπος· ταυτα δε παντα εποιη-

1. Ιαννυ και Ιαμβρυ] de varietate scribendi hujus nominis præter alios agunt *Schoetgenius* in *Horis Hebraicis* p. m. 893. & *Jo. Simonis* in *Onomast. N. T.* sect. II. p. 74. 75. etiam *Hammondus Comment. in N. T.* p. 292. Tom. II. ed. *Clerici: Jannem* & *Jambrem* scribi debere urget *Crocius Comment. in Epp. D. Paulli* Tom. II. p. 355. sed *Jamnes* & *Mambres* constanter scribitur in *Disputatione Archelai cum Manete Hæresiarcha* §. XLV. quam *L. A. Zacagnius* edidit in *Collectan. Monum. vett. Eccles. Græcæ & Lat.* p. 64. 81. 82. (Romæ 1698. 4to.) conf. omnino de illis *J. A. Fabric. Cod. Pseudepigr. V. T.* Tom. I. p. 813—825. & Tom. II. p. 105—112. tum *Cod. Apocr. N. T.* p. 249. sq. & 982. peculiares vero *Zentgravii* & *Grotii* dissert. laudat *J. C. Wolfius* Tom. IIII. *Cur. Philol.* p. 529.] R. M. V. G.

2. τετραπεδων λιθων.] *Hervetus* vetterat *quatuor pedum magnitudine:* vide *Onomasticon*] H. ROSWEIDVS (not. ad *Vit. Patr.* p. 786.)

3. χρυσον πολυν αποθεμενοι.] receptus hic sæpe mos fuit, ut pecuniam in sepulcris abderent: v. *Olear.* ad *Philostr.* VII. *de vit. Apoll. Tyan.* p. 303. *Aringhum* Tom. I. *Romæ Subterran.* p. 92. sq. Cl. *Burm.* ad *Vales.* I. *Emend.* XIX. p. 24. *J. G. te Water Observ. ad Hist. Sep. Xti.* p. 38. sq. hinc avaritiæ caussa interdum sepulcra aperiebantur, uti exemplis probat *Fabric. Cod. pseud. V. T.* Tom I. p. 1064.] R. M. V. G.

4. υπιγμος.] lege υπικμος γαρ εςιν ο τοπος.] IO. MEVRSIVS (not. ad *Pallad.* p. 181.)

εποιησαν, ελπιζοντες μετα την εντευθεν εκεισε αφιξιν εν τϰτῳ τῳ παραδεισῳ ι. τρυφαν·

Exhibito *Palladii* loco lubenter ad comparationem hujus κηποταφιϰ progrederer cum descriptione illa veri *horti*, quam ex *Achille Tatio* proposuimus, modo ne cum importuno non nullorum in emendandis scriptorum locis pruritu res nobis esset: scilicet non apud *Gothofredum* duntaxat, virum cultissimæ eruditionis, in diss. IX. ad *Philostorg.* Cap. II. p. 361. ed. *Genev.* loco vocis κηποταφιον, de hoc Magorum sepulcro legitur, eos sibi κηνοταφιον exstruxisse: quod cum apertum typothetæ vitium esset, emendatum etiam in *Addend.* & *Emend. ad h. l.* fuit: ubi tamen pro voce κηνοταφιϰ, quæ nulla erat,

υπιγμος.] Græce υπικμος ex MS. non ut est in *excuso Lugdunensi* (hæc est editio *Meursiana*) υπιγμος: *locus humidus: Hervetus: locus qui cedit facile:* quasi esset εικτικος, vel επεικτος, παρα το εικειν. *Heraclides* suffragatur nostræ correctioni: *puteum quoque fecerunt, eo quod sine aliquo videretur humore idem locus esse:* aliter vetus interpres (ap. *Rosweid. Append.* p. 992.) *humectus est enim locus:* ratio enim redditur, cur maximum puteum effoderint:] FRONTO DUCAEUS (ap. *Rosweid.* not. *ad vit. PP.* p. 786.)

Videtur *Fronto Meursii* quidem editionem habuisse, ejus tamen notas non consuluisse; si quidem *Meursius* ex ingenio restituerit, quod ope Codicis MS. præstit *Fronto*] R. M. V. G.

ι. παραδεισῳ] convenit hæc vox notioni κηπϰ: nam omnia etiam complectitur, omnesque partes, quæ in *horto*, εν κηπῳ, desiderari ex *Achille Tatio* vidimus: ac recte proin de hoc Magorum *cepotaphio*, vel *paradeisotaphio*, uti adpellare etiam posses, adhibetur: vide præter *Almelovenium* supra a nobis citatum Cap. IIII. §. II. p. 58. qui de arctiori vocis notione agit, etiam dissertationem *de notione vocis Paradisi in verbis Christi ad Latronem* insertam *Observ. Halens.* Tom. VIII. n. IV. p. 85—125. junge *Dougtæi Analecta Sacra* Part. I. *Excurs.* I. ad *Genes.* II. 8. pag. I. *Vorstii* dissert. de *Paradiso* ap. *Crenium Opuscul.* Fascic. IV. p. 300. sqq. alios vide apud *Wolfium Curis Philol.* ad *Luc.* XXIII. 43. p. 767. sq. Tom. I. adde *Hutchinsonum* ad *Xenoph.* I. Αναβ. Κυρϰ p. 10. ed. Oxon.] Idem.

erat, non κηποταφιον substituitur, uti oportebat, sed κενοταφιον: quod tamen æque typographi cœcutientis errori adscripsissem, saltem refutatione indignum judicassem, nisi etiam alios ex proposito nobis hic negotium facessere comperissem: Nam & *Henr. Hammondus* in *Comment. ad Ep.* 2. *D. Paulli ad Timoth.* Cap. III. p. 292. Tom. II. ed. *Clerici*, ex instituto probare adgressus est, vocem κηποταφιυ male apud *Palladium* legi, restituique debere & intrudi το κενοταφιον: irrito tamen conatu: quod levi, opinor, opera legenti persuadebo: verba *Hammondi*, quæ repetiit *Fabricius* in *Cod. Pseudepigr. V. T.* Cap. CLI. p. 820. Tom. I. quibus germanam loci lectionem sollicitare studuit, hæc fere sunt: *Palladius in vita Macarii, memorat* κηποταφιον τυ Ιαννυ, και Ιαμβρυ, των Μαγων επι τῳ Φαραῳ: „ *monumentum in horto Jannis & Jambris, Mago-* „ *rum, qui Pharäonis tempore vixerant:" verum hoc esse non potuit verum sepulcrum, si falsum non est, quod legitur in vetere Midrasch ad Exod. XV.* 10. *Johannem & Mamrem submersos fuisse in mari rubro: Cum eo consentit Arabica Catena MS.* in *Pentateuchum bisce verbis:* „ *hæc sunt nomina Magorum, qui stetere contra Mosem, Dejannes, Jambaras & Sarudas; Deus vero eos perdidit in mari rubro cum Pharäone & ejus exercitu." Itaque credibile est pro* κηποταφιον *legi oportere apud Palladium* κενοταφιον, *vacuum monumentum, absque eorum cadaveribus, in memoriam eorum peccati, non ad servandas eorum reliquias:* Hæc *Hammondus:* quo tamen jure, ipse viderit: ne quid enim dicam de strage, quam invitis omnibus & Codd. MSS. & versionibus Latinis vetustis, quater eodem capite *Palladio* inferre debebimus, probabo duntaxat, tum caussas, quas pro sua sententia adfert vir alioquin non indoctus,

futiles esse & plane nullius momenti: tum etiam non aliter posse aut debere scribi quam scriptum semper fuit: 1. argumenta quod attinet, quibus γνησιοτητα vocis κηποταφιον hoc loco adgreditur *Hammondus:* urget ille præsertim Magos hosce non in Ægypto sua morte periisse, sed una cum Pharäone fluctibus maris rubri haustos interiisse: idque testimonio veteris *Midrasch* & *Catenæ Arabicæ* MS. firmat, de quorum fide nunc non disputo: imo si narrationis hujus veritatem concedam, quid tum? nihil profecto præsidii pro sua sententia *Hammondus* hinc habet: & sane egregius inter hæc nexus obtinet: *Cum Magi non fuerint sepulti, sequitur sepulcrum, quod sibi in horto struxerunt, κηποταφιον dici non posse:* quid enim? an sepulcrum, quod Magos istos vivos sibi exstruxisse, amœnissimoque viridario inclusisse, conceptis verbis testatur, κενοταφιον *Palladius* nolens volens appellare debuit, ideo quod in eo sepulti non fuerint? nonne ante illorum submersionem in mari rubro, sepulcrum istud in *horto* fuit situm, adeoque jam tum proprio vocabulo κηποταφιον dici debuit? nonne aperte falsus fuisset *Palladius*, si κενοταφιον ab illis sibimet vivis structum esse prodidisset? nec enim facere id potuissent, nisi vel honoris tantum caussa erexissent, quod diserte negat *Palladius*, ea spe structum monumentum fuisse adfirmans, ut in eo post hanc vitam tranquilla & jucunda sede fruerentur: vel præscientes se aquis haustum iri, sepulcrum illud κενόταφιον appellare debuissent; quod eadem narratio subvertit: alterutrum, si cum *Hammondo* facias, ejusque partes recte tueri velis, adfirmetur necesse est: ipse tamen paullo aliter: scilicet κενοταφιον istud, *absque eorum cadaveribus, in memoriam eorum peccati, non ad servandas eorum* re-

reliquias ſtructum fuiſſe ait: inſulſiſſima ſane hæc ſunt, & *Hammondo* indigna: Ατλα γερων, ποιον σε επος φυγεν ἑρκος οδοντων; *cenotaphium ſtructum fuit in memoriam peccati eorum:* at a quibus, amabo, ſtructum fuiſſet? ipſos certe *in memoriam peccati ſui* non ſtruxiſſe, adſentietur, credo, *Hammondus:* & id tamen diſerte teſtatur *Palladius:* præterea quis unquam audivit, ſepulcrum amœniſſimo loco magnificentiſſime ſtructum in memoriam inſignis alicujus peccati erectum fuiſſe? ſed videamus porro: ipſi ſi ſibi non ſtruxerint, factum id poſt ſubmerſionem eorum demum fuit: at quis fecit? de Ægyptiis adfirmari non poteſt, qui ipſos in honore habuerant: ſoli igitur Iſraëlitæ facere debuerunt, qui ipſos oderant ob peccatum in Moſen: atqui vero Iſraëlitæ trajecto mari rubro Ægyptum dudum reliquerant: vides, quam egregie *Hammondi* argumentatio procedat: apparet 2. non aliter ſcribi debuiſſe apud *Palladium*, vel potuiſſe, ac ſemper ſcriptum fuit: hinc potiſſimum, quod diſertiſſima *horti*, ad illud Magorum ſepulcrum ſtructi, in his fiat mentio: idque non ſolum ex luculenta arborum puteique, quæ huic tumulo jungebant, enarratione conſtat, ſed etiam clariſſimum in modum docet ipſum κηπȣ vocabulum, quo dein bis utitur, & παραδεισȣ, quem ſemel quoque nominat *Palladius:* unde patet nec aliter ſcribere eum voluiſſe nec potuiſſe:

Hæc ſi quis rite conſideraverit, nemo, opinor, erit, qui, quam inſigniter hallucinatus in his *Hammondus* fuerit, liquido non perſpexerit: nemo, qui veriſſimam vocis κηποταφιȣ ſedem in hoc loco eſſe negare auſit: imo ſi vel nulla usquam hujus vocabuli exſtaret mentio, (quod tamen aliter ex *Conſpectu Marmorum* quem Cap. I.

dedimus, constat) nec tum tamen *cenotaphio* cedere vox κηποταφιον deberet: atque hæc contra *Hammondum* satis: necessariam digressionem, quam lubenter, si potuissem, evitassem, bene vortat æquus Lector! illa eo magis erat necessaria, cum *Hammondi* errori & alii impliciti fuerint viri docti: illum certe errantem errans & ipse imitatus fuit *Wetstenius* in not. *ad N. T. Græcum* T. II. p. 362. B. itidem κενοταφια excitans: nec κενοταφιον, sed κενοταφια: quod unde habeat, ignoro: „*Palladius*, ait, „ Lausiac. 20. narratur Macarius in vasta solitudine „ Jannis & Jambris fratrum κενοταφια visitasse." sed abstineo:

Nunc, ut ad propositum redeam, instituenda hujus sepulcri cum propria *horti* & vera imagine erit comparatio: quod necessarium in primis est, si quidem ad hoc tertium CEPOTAPHIORUM genus ea duntaxat sepulcra spectant, quæ in κηπῳ, ιδιως sic dicto, fuerunt structa: id est in *horto*, tam *arboribus*, quam vario *florum* genere insigni: ac proin simul huc referri debent omnia illa monumenta, quæ ab historicis nude dicuntur in *horto* fuisse sita, absque ampliore ipsius *horti* descriptione: ideo præsertim, quod Gr. κηπος & Lat. *hortus* proprie & plene sumi soleat, de villa agroque illis rebus instructo, quas in elegantissima *Achillis Tatii* pictura *horto* tributas videmus: Desiderantur itaque in *horto*, quatuor potissimum res, quas obiter jam supra enumeravimus: videlicet I. ARBORES, quæ sub notione αλσυς, h. e. *luci* latent, quasque dein δενδρων πανηγυριν eleganter vocat: convenit narratio *Palladii*, apud quem *Magi* sepulcro suo circumposuerunt δενδρα παντοια, *arbores varii generis*: —— porro 2. occurrunt *flores*: ανθη ποικιλην εχοντα την χροιαν: fateor, illi in descriptione *Palladiana* desunt:

ſunt: modo ne vel ſub generatione παντοιων δενδρων mentione, vel in ipſa κηπυ notione comprehendantur: ceterum apud ſepulcrum Cyri, quod in *horto* fuit, memoratur ποα βαθεια, uti ex imagine ejus, quem mox ex *Arriano* dabimus, videri poterit: —— pergo 3. ad *aquam:* πηγην εν μεσοις τοις ανθεσι memorat *Achilles*, dein iterum ὑδωρ; convenit Magorum φρεαρ ὑδατος μεγιςον, ὁ ὡρυξαν· & Mauſoleum Cyri, quod erat ὑδατι καταρρυτον: —— demum 4. habes *maceriam*, περιβολον, θριγγον &c. qua circumdatus non quidem *Achillis Tatii* hortus fuit, ſed quæ κηπῳ apud *Longum* adfuit Lib. IV. pr. & quidem duplex I. δενδρα ακαρπα, καθαπερ θριγγος χειροποιητος· tum etiam λεπτης αἱμασιας περιβολος· quod vertunt: *ſeptum e tenui maceria factum:* illa autem ipſa maceria uti nec omnibus hortis adfuit, ita in *Cepotaphio* quoque Ægyptiaco deſideratur: qui tamen defectus non fuit communis: ſi quidem non ſepulcrum ſolum Cyri περιβολῳ quodam inſtructum fuit, cujus vicem præſtitiſſe videtur αλσος δενδρων παντοιων περι αυτον, *lucus variarum arborum circa ipſum:* ſed etiam Romanorum CEPOTAPHIA iis raro caruiſſe docet marmor, hanc in rem egregium, quod ex *Fabretto* dedimus in *Conſpectu Marmorum* Num. II. p. 8. cui convenit aliud ibidem exhibitum N. IIII. p. 9. in quibus memorantur CEPOTAPHIA. MVRO. CINCTA. —— atque hæc vera CEPOTAPHIORVM & propria eſt facies: ſingulas partes dein accuratius contemplabimur: nunc prius ipſum ritum, qui jam ab antiquiſſimis inde temporibus obtinuit, examinabimus, variisque illam exemplis, ex diverſis variarum gentium moribus, conquiſitis ſtabilire & firmare adnitemur.

II. Remotiſſima, quæ in vetuſtis auctorum monumentis durat, CEPOTAPHII memoria, eſt in illa,

quam de Magis Ægyptiis narrat *Palladius*, historia: modo ne fides hujus ſcriptoris, ut ſæpiſſime in aliis rebus vacillat, ita in hac etiam relatione nos deſerat: conſtat quidem, & conſtat certiſſime, Magos quosdam fuiſſe Ægyptios, nomine *Jannes* & *Jambres*, (vel quocunque alio appellare velis, diverſitas enim in ſcribendo hoc nomine maxima obtinet, ut ſupra docuimus not. ad *Palladium* p. 131.) eosque Moſi & Aäroni obſtitiſſe in propoſito ſuo, quo populum Iſraëliticum jugo Regis Ægyptii Pharäonis liberare, & in terram patriam, Canäanem, reducere inſtituerant: quod emanaſſe videtur & compertum fuiſſe *D. Paullo*, qui diſertam rei mentionem facit in altera ad *Timotheum* Epiſtola Cap. III. —— & id quidem vel ex traditione pervetuſta, & haud dubie veraci, quæ opinio eſt *Surenbuſii* in Libro *καταλλαγης*, & *Jo. Alberti* in *Obſerv. in N. T.* p. 348. —— vel ex ſcripto quodam commentario: uti *Polus* opinatur & *Calvinus* *Comment. ad h. l.* p. 486. Tom. VII. Opp. etiam *Capellus Obſ. in N. T.* p. m. 99. 100. quibus reluctatur *Crocius* in *Comment. in Epp. Pauli* pag. 355. Tom. II. quem omnino vide: licet multa habeat, quæ etiam apud *Schottum* leguntur in *Adagial. Sacris* ad h. l. p. 139. conf. etiam *Jo. Gerhardi Annotat. in Ep. II. ad Timoth.* p. 59. (Lipſ. 1712. 4to.) ſi ex ſcripto libro hauſiſſe Apoſtolum dicas, non credendum tamen, ut *Whiſtonus* cenſet, ex ipſo codice ſacro Veteris Teſtamenti hauſiſſe, quaſi ex eo dein eraſum fuiſſet; —— vel ex inſpiratione & revelatione divina: quod *Theophylactus* adfert in *Comment.* ad h. l. p. 822. ed. *Lindſelli*, & *Oecumenius Comment. in N. T.* p. 273. Opp. Tom. II. etiam *Jo. Chryſoſthomus* Homil. VIII. *in Ep. 2. ad Timoth.* p. 595. A. Tom. XII. Opp. ed. Fran-

Francof. quibuscum ex recentioribus convenit *Jo. Buxtorfius* in *Catalectis Philol. Theolog.* Cap. CLXXX, p. 218. sq. —— vel denique, ut equidem mallem, ex utraque simul: tum traditione, tum revelatione; ita ut Spiritus S. *Paullo* persuaserit, veram esse illam, quæ inter Judæos versabatur, traditionem, eamque etiam Epistolæ ad Timotheum inseri debere: traditionem enim de his Magis apud Judæos obtinuisse, ex iis, quæ pro sua opinione *Whistonus* ap, *Wolfium* Tom. IIII. p. 529. attulit, adparet: quibus adde *Crocium* l. c. eamque veram etiam fuisse, equidem negare non ausim; scio aliter *Ligtfootum* censuisse *Hor. Hebraic. ad Luc.* III, 36. pag. m. 507. A. Tom. II. Opp. putabat ille, Apostolum hæc Magorum nomina promsisse, non tanquam vera, ut de quorum genuitate ipse incertus erat, sed ut traditione vetusta satis nota & ab aliis sic relata: non tamen illi adsurgerem: nec enim putarem, Apostolum hæc Magorum nomina, quæ omitti facile potuerant, tamen addidisse, etsi de veritate eorum ipsi nihil certi constaret:

Interim, uti sola duntaxat Magorum nomina recenset D. *Paullus*, ita nusquam etiam aliunde, quam ex *Palladio*, quidquam de hoc ipsorum sepulcro, tam magnifice & operose exstructo, novimus: quam quidem narrationem ille accepisse se ait ab ipso *Macario* Alexandrino, teste αυτοπτη, quique adfuit, omniaque oculis lustravit: incesserat enim virum hunc sanctum cupido & desiderium, videndi hujus Magorum Cepotaphii in eremo loco structi: at vero ea etiam omnia, quæ de fugatis a *Macario* illo dæmonibus, aliisque rebus nugacissimis refert, ab ipso etiam *Macario* audivisse se testatur: fateor hæret hic aqua, nec quid de fide narrationis sit judicandum, definire au-

ausim: in ipsa quidem Cepotaphii expositione nihil inest, quod mendacii accuses, in reliqua tamen historiæ serie & contextione tam aperta exstant nugacitatis, & plus quam anilis garrulitatis indicia, ut quid de universa re dicas, plane nescias: Interim bonum factum, nondum memoriam Cepotaphiorum deficere, quantumvis fidem Palladianæ narrationi plane quis negaverit: Nam ut de ipsis *Ægyptiis* dicam, ad quos Magorum etiam sepulcrum pertinet, memorari meretur Alexandriæ suburbium *Necropolis* dictum, ubi *horti* quamplurimi, inque iis *sepulcra* & mortuorum conditoria varia, unde ipse locus νεκροπολεως, id est *urbis mortuorum*, titulum nacta fuisse videtur: testis est *Strabo* Lib. XVII. p. 1145. A. ειθ' ἡ Νεκροπολις, και το προαστειον, εν ᾧ ΚΗΠΟΙ τε πολλοι, και ΤΑΦΑΙ (mallem ταφοι) και καταγωγαι, προς τας ταριχειας των νεκρων επιτηδειαι· conf. *Cellarii Geograph. Antiq.* Lib. IV. Cap. I. p. m. 770. Tom. II.

III. Relicta Ægypto ad Hebræos me confero, in quorum historiis luculentissima hujus usus exempla exstant: hunc certe morem firmant sepulcra Regum *Manasse* & *Ammon*: de quibus habetur in Libro 2 *Regum* XXI. 18. και εκοιμηθη Μανασσης, και εταφη εν τω ΚΗΠΩι του οικου αυτου, εν τῳ ΚΗΠΩι ΟΖΑ. & vs. 26. de *Ammone*: και εθαψαν αυτον εν τῳ ΚΗΠΩι ΟΖΑ: Conf. *Nicol.* de *Luctu Christian.* XI. 13. p. 72. sq. idque *Ozæ* sepulcrum etiam hodie durare creditur prope vallem *Josaphat*: v. *Cotovicum* Lib. II. *Itin. Hierosf.* & *Syr.* Cap. XII. p. 296. conf. Cap. XIV. p. 305. aliosque terræ Sanctæ periegetas: denique *Nehemiæ* III. 16. memorant οἱ LXX. in sua versione κηπου ταφου Δαβιδ. Sed vide, quid de hoc loco disputet *G. te Water Observ. ad Hist. Sep. Christi* p. 26.

Fa-

Fateor, hæc quidem ſepulcra intra urbem fuerunt *Hieroſolymitanam*, quod forſan non nemini mirum videbitur: præcipue ſi impuritatem ſpectes, qua, viſo tactove cadavere aut ſepulcro, contaminari ſe Judæi credebant: qua de re ſupra obiter egimus Cap. III. §. IIII. p. 48. Enimvero conſiderandum eſt, ſummum hunc honoris fuiſſe gradum, nec niſi principibus viris, eumque non niſi raro, conceſſum, ut corpora eorum intra urbem tumulari liceret: nec apud Hebræos duntaxat: v. auctores, qui laudantur in *Breviario Antiquitatum ad illuſtrandam Paſſionis Chriſti hiſt.* Cap. XVI. §. I. p. 77. ſed & reliquos Græciæ Italiæque incolas: De Græcis v. *Heraldus* I. *Adverſar. 6. Kirchm.* II. 26. f. *Meurſ.* Lib. *de funere* Cap. XLII. p. 1148. T. XI. *Th. Antiq. Græcar.* de Romanis ſigillatim egregie ſcribit *Sert. Orſato Marmi Eruditi* Lett. V. p. m. 87. *Ella*, inquit, *ſa meglio di me, che la ſepolture delli antichi erano fuori delle cita, e de campi, che il ſepellirſi dentro di es fu permeſſo a pocchi, e per ſolo teſtimonio di onore*: junge Lett. XI. p. m. 269. & conf. etiam *Bonadam Anthol. Inſcr.* Tom. I. p. 221. *Cl. Guichard* dans les *Funerailles des anciens* p. 102. ed. Lugd. *Porcacchi Funerali Antichi* p. 53. *Matthæum Ægyptium* in *Diſſ. Sopra un' Iſcrizione* p. 33. degli *Opuſcoli Volgari*: qui tamen cum aliqua diſtinctione Illuſtres hos Viros non quidem intra urbem, quam loco publico pomœriis contiguo, conditos fuiſſe arbitratur, atque ita *ſepulturam* quoque *publicam* cum *monumentis in urbe* quodammodo confudit: de qua tamen re moleſtior *Faeſii* error eſt, quem mox notabimus: Romæ autem honos iſte ſepulcri intra urbem conceſſus fuit virginibus Veſtæ; non illis ſolum, quæ ſacrum Deæ munus per integrum vitæ temporisve de-

definiti spatium castæ & incorruptæ obierant: *V. Faes.* ad *Gyrald.* p. 736. sed & nocentibus, quæ ob delictum vivæ sepulcro tradebantur, intra urbem: ut clarissime docet *D. Halicarn.* Lib. II. *Archæol.* p. m. 127. & *M. Cato* Orat. de *auguribus* ap. *Festum* Lib. XIV. p. 375. —— porro de Imperatoribus idem adfirmat *Servius* ad XI. *Æn.* 206. *Imperatores*, inquiens, *& virgines Vestæ in civitate habent sepulcra, quia legibus non tenentur:* quod tamen cum rerum serie & historiæ veritate minus videtur constare posse: si quidem primus Imperatorum Trajanus fuerit, quem honore sepulturæ intra urbem honoravit senatus: uti recte ait *Eutropius* Lib. VIII. Cap. 2. ad quem locum quid *Anna Fabri* voluerit, juxta cum ignorantissimis nescire me fateor: Dixerat *Eutropius* de *Trajano: inter Divos relatus est, solusque omnium intra urbem sepultus: ossa collocata in foro* &c. *Anna Fabri* autem hæc commentatur: *intra urbem sepeliri mortuos leges vetabant: Lex duodecim tabularum:* HOMINEM MORTVVM IN VRBE NE SEPELITO, NEVE VRITO: *Magnum igitur & eximium quiddam fuit, in urbe sepeliri, sed nescio cur Eutropius illud soli omnium Trajano concessum: nam multi ante illum idem jus consecuti.* priora recte dicuntur: postrema omnino male se habent: si enim per *multos* illos, *idem jus* (sepulturæ intra urbem) *consecutos* intelligat Illustres quosdam viros, Fabricium, Poplicolam, cet. de quibus mox dicemus, male tum *Eutropii* mentem intellexit, qui Imperatores hic innuit: sin & ipsa Imperatores indigitaverit, errat sane: nemo enim ex Imperatoribus ante Trajanum sepulcrum in urbe habuit, uti liquido adparebit, modo quis singulos Imperatores eorumque sepulcra investigaverit: refert quidem *Dio Cassius* Lib. XLIV. 7. p. 385.

Tom.

Tom. I. inter alios vivo Cæfari decretos honores etiam fepulcri in urbe conceffionem: fed aliunde conftat honorem hunc ufurpatum ab eo non fuiffe: & fane, præter *Vefpafianum*, ejusque filium *Titum*, quorum fepultura obfcurior eft, conftat ex hiftoriarum monumentis, neminem Imperatorum ante Trajanum fepultum in urbe fuiffe: ac proin *Servii* verba, *Imperatores in urbe fepulcra habere*, dictitantis, *quia legibus non tenentur*, vel de jure intelligere debes, quod vel Imperatores habebant, vel fibi poterant adrogare: in primis cum diferte cauffam hanc jungat Grammaticus: *quia legibus non tenentur:* vel notionem *civitatis* latiori fenfu, quo etiam fere teritur, accipias neceffe eft tumque fepulturam in Campo Martio innuiffe *Servium* credas, quæ, in primis etiam honorifica, non nullis Imperatoribus contigit, uti *Julio Cæfari*, *Augufto*, cet. egregie rem intellexit *Fr. Perucci Pompe Funebri* Lib. II. p. 48. verba ejus, quia clariffime rei rationem exponunt, adfcribam: *Erano*, inquit, *pero fciolti da quefta legge* (lex videlicet fepulturæ extra urbem) *gl' Imperatori*, *e le Vergine Veftali*, *come anche quelli ch' haveffero trionfato*, *i quali*, *doppo la folita cerimonia*, POTEVANO HAVERE *fepoltura nella cità: come furono Trajano*, *che fecondo Dione fur meffe le fue cineri fopra la fua colonna pofta tra il Campidoglio.* hoc modo *Servii* locum fi capiamus, eum erroris arguere neceffe non eft:

Porro præter *virgines Veftæ*, etiam viris quibusdam Illuftribus & de patria præter alios bene meritis honos interdum idem ceffit: uti —— *Poplicolæ:* ap. *Plutarchum* Tom. I. Opp. p. 109. c. & Tom. II. p. 282. F. junge *D. Halicarn.* V. *Archæol.* p. 315. & *Cic.* II. *de Legibus* c. 23. —— *C. Poblicio:* v. lapidem *Boiffardi* Tom. VI. 18. & *Gruter.* CCCCL.

CCCCL. I. etiam ap. *Murator.* T. II. p. DCCXXXVIII. 3. *Matth. Ægyptium* differt. *sopra un' Iscriz.* p. 34. *Opuscul.* & *P. S. Bartoli sepolcri Antichi* fig. XXVII. Tom. XII. *Thes. Antiq. Gronov.* junge omnino *Marlianum Topogr.* Lib. V. Cap. 2. p. 166. T. III. *Th. A. R.* —— porro *Fabricio*: teste *Plutarcho* l. c. & *Tuberto*: teste *Cic.* l. ind. dein etiam familiis quibusdam: —— *Valeriæ* post sepulturam P. Val. Poplicolæ ap. *Plutarchum* l. l. —— *Claudiæ* ap. *Suet. Tib.* I. conf. *M. Donati dilucid.* ad h. l. p. 546. sqq. T. VI. *Thes. Crit.* —— *Ciciæ* ap. *Festum* v. p. m. 78. & 457. in *Romanam portam* —— demum etiam Illustribus viris, qui *Bello contra Volscos interemti, in Circo combusti & proxime etiam sepulti fuerunt*: v. eundem *Festum* p. 284. 5. sqq. —— & *Ludio* cuidam, cujus cadaver, fulmine tactum, primum quidem in Janiculo conditum, dein vero ex oraculi responso intra urbem relatum & in Volcanali sepultum fuit: apud eundem p. 525. conf. *Jo. Argoli* not. ad *Onuphr. de Ludis Circensibus* p. 117. T. IX. *Th. A. R.* —— forsan etiam *C. Petrejo* & *Ɔ. Petrejæ*, de quibus v. omnino *Jo. de Vita* ad *Inscr. Benevent.* cl. IX. n. I. p. XXXVIII.

Recentiori tempore honos hic paullatim in consuetudinem vertit, si quidem non in ipsa solum urbe, sed & Templorum porticibus & vestibulis cadavera sua, inprimis Christiani, sepelire inceperint: v. *Bonadam Anthol. Inscr.* T. II. p. 488. *M. Jacutium Specim. Antiq. Christian.* p. 17. *Nicol. de Luctu Christian.* Cap. XI. §. 14. sq. & ante hos *Gothofred.* diss. III. ad *Philostorg.* Cap. II. p. 99. *Larroquani Adversaria sacra* Lib. I. p. 205. sqq. forsan & huc spectat sepulcrale Epigramma ap. *Pithœum* in *Epigr. vet.* L. III. p. 96. n. 4.

Hel-

Helpes dicta fui, Siculæ regionis alumna,
Quam procul a patria conjugis egit amor:
PORTICIBVS SACRIS jam nunc peregrina quiesco,
Judicis æterni testificata thronum.

Exemplum etiam habemus *Justiniani* Imp. in ipso Templo sepulti apud *Corippum*, elegantem pro ratione temporis poëtam, quem utinam curis *Vonckianis* politum legeremus; Lib. III. *de Justino Minore* vs. 59.

Primis tamen temporibus inter ipsos etiam Christianos rigidissime id ipsum prohibitum fuisse docet *Suicerus* T. II. *Thes. Eccles.* p. m. 1240.

Interim cum hac *sepultura intra urbes* confundi minime debet *funus publicum*, Græcis δημόσια ταφη· quod licet magnus oppido honos tam apud Græcos, quam in Italia fuerit; toto tamen cœlo a sepultura intra urbem distat: de Græcis v. *Olearium* ad *Philostrat.* Lib. III. *de Apollon. Tyan.* Cap. XXXI. p. 122. de Romanis agunt *Kirchmannus* I. 4. *Guther.* II. 1. aliique, quos indicat *V. D.* ad *D. Cassium* Tom. I p. 742. quod si autem, uti omnino debes, inter duo hæcce honoris indicia recte distinxeris, statim *Faesii* errorem notabis, qui not ad *Gyraldum* Tom I. Opp. p. 737. a. verba *Appiani* Lib. IV. *Bell. Civil.* p. 1065. T. II. ed. *Tollii*, ἀποθανόντα ἔθαπτε δημοσίᾳ (scil. ταφῃ) de *sepultura intra urbem* intellexit, cum de *publico funere* sermo sit: observabis etiam *Hauptmanni* vitium, qui *Lycurgi* verba, *Ordt. contra Leocratem* p. 193. (seu, uti in margine habetur, p. 232.) προδότην ἐν τῇ χώρᾳ μη τεθαφθαι: *proditorem patriæ in regione (Attica) non sepeliri* dictitantis, de *sepultura publica* προδόταις

 πο-

negata accepit in *Ind. IV. Rerum Lycurg. v. sepultura publica:* demum recte observata hac distinctione, non miraberis etiam, de *Tiberio* apud *D. Cassium* legi, ipsum plures ανδριασι και δημοσιαις ταφαις dignatum fuisse: Lib. LVII. cap. XXI. p. 869. Tom. I. quæ si de sepultura intra ipsam urbem capere volueris, absurdissimam sane opinionem fovebis: *funus publicum* erat *sepultura publicis sumtibus procurata*; *sepultura* vero *intra urbem*, *sepulcri urbani concessio:*

Sed video digressionem hanc de *sepultura urbana* justam excessisse magnitudinem: inverterem stylum, nisi ex hac disputatione de honore sepulcri intra urbem, magnis interdum viris concesso, lucem sepulcrum apud Hebræos regium *Osiæ* sive *Ozæ* lucraretur: hinc enim liquet, tum, quanto honore mactati fuerint *Manasse* & *Ammon*, quibus monumentum intra urbem Hierosolymitanam cessit: tum etiam, ab aliarum gentium moribus non plane alienam hanc rem fuisse; nec proin in dubium revocari historiæ veritatem debere, quasi cum persuasione illa de pollutione cadaverum & sepulcrorum, quæ apud Judæos viguit, minus constare illa posset:

Ceterum par fere in Samuelem collatus honos fuit: quantumvis enim proprie dicatur sepultus fuisse in *domo sua:* 1. *Sam.* XXV. latiori tamen id ipsum sensu accipi, & de *horto* domui contiguo explicari debere, eleganter & vere docuit *Geyerus* de *Luctu Hebr.* p. 123. junge *Nicol. de S. H.* p. 193. sq.

Nobilissimum vero, quod in historia Hebræorum exstat, *Cepotaphium*, est illud quod *Josephus*, Illustris vir, Arimathæënsis, sibi suisque struxerat: quodque recens adhuc & νεοτευκτον Christo Domino

se-

ſepulturæ locum præſtitit: uti omnium clariſſime *D. Joannes* teſtatur Cap. XIX. *Euang.* vs. 41. 42. Ην δε εν τῳ τοπῳ, ὁπȣ εςαυρωθη (ὁ Ιησȣς) ΚΗΠΟΣ, και εν τῳ κηπῳ ΜΝΗΜΕΙΟΝ ΚΑΙΝΟΝ, εν ῳ ȣδεπω ȣδεις ἐτεθη. Εκει . . . . εθηκαν τον Ιησȣν· *Nonnus* in *Paraphraſi Euangelii D. Joannis* Cap. XIX. vs. 226. p. m. 268. ſic habet:

Ην δε τις αυτοθι τυμβος αερσιλοφῳ παρα χωρῳ,
Χριςον ὁπη ςαυροιο συνεκλῃισσαν οχηι
Νηλης εχθρος ὁμιλος· εην δ' ενι γειτονι ΚΗΠΩι
Τυμβος, αδωμητοιο βαθυνομενης ὑπο πετρης,
Γλυπτος ὁλος, νεοτευκτος . . . . . .

hinc *S. Cyrillus* etiam, Hieroſolymitanus Epiſcopus, *Catech.* XIV. p. 192. ed. Oxon. κηπος, ait, ην ὁ τοπος της ταφης· inde vero, quod in horto poſitum hoc ſepulcrum fuerit, ſimul intelligitur, quomodo Maria Magdalena *hortulanum* ι. ſe videre opi-

ι. *Hortulanum*] in Græco eſt κηπȣρος *Joann.* XX. 15. qua de voce eleganter, inprimis ex *Luciano*, commentatur Cl. *J. H. Schacht* in *Add. Not. ad Ikenii Harm. Paſſ. i.* ad p. 115. adderem ego exemplis, a V. Cl. adlatis, *Schol.* ad *Ariſtoph. Eqq.* vs. 895. p. m. 343. ed. *Porti*: niſi in exhibendo hoc *Scholio* mire variarent edd. —— *Florentina Juntæ* editio A. 1525. 4to. quem κατα ποδα ſequitur noviſſima *Kuſteri*, ſic dedit: Κοπριος·] ΚΗΠΟΥΡΟΣ· παρα την κοπρον· αλλως· νησος της Ατ]ικης, η τον κοπρολογον λεγει· —— in *Baſilëenſi* mea *Frobeniana* A. 1547. Fol. legitur hoc modo: Κοπριος· παρα την κοπρον· αλλως· νησος της Αττικης· η τον κοπρολογον λεγει· —— in *Genevenſi Æm. Porti* A. 1607. Fol. ita habetur: κοπριος ανηρ·] ὡς απο δημου· λεγει δε τον κοπρολογον· η ΚΗΠΟΥΡΟΣ, παρα την κοπρον· αλλως Κυπρος, νησος της Αττικης· ὁθεν το εθνικον κυπριος· παιζει δε εν τῃ τȣτων των λεξεων ὁμοιότητι· —— demum *Salmaſius* ad *Tertulliani pallium* p. 333.

opinari potuerit, prope ſepulcrum ſtantem: niſi enim *Cepotaphium* fuiſſet, *hortulanus* illic loci exſpectari non potuiſſet: plura de *ſepulcro* ſacro Chriſti Domini monere abunde poſſem, ſed id hujus non eſt loci: adi, Lector, peculiares Virorum eruditorum curas: quales ſunt *Kirchmayeri* diſſ. *de ſepulcro Chriſti* Witteb. 1711. *Schmidii* diſſ. de *tumba Servatoris* Helmſt. 1703. *Ortlobii* & *Thilonis* diſſertationes *de ſepulcro Chriſti*, inſertæ *Theſauro Diſputationum* Tom. II. p. 252. ſqq. *Zornii* diſſ. *de ſepulcro Chriſti ex petra exciſo* Sedini 1730. *Buddei* Meditatio Paſchalis *de ſepulcro Chriſti*, inter ejus *Meditationes Sacras*, a *M. Jo. Dav Leonhardo* editas, Jenæ & Lipſ. 1725. 4to. p. 52. ſqq. *Kiskeri* diſſert. exegetica de *Sepultura Chriſti*, a *Chr. G. Fr. Helmershauſen* inſerta *Collect. Nov. Diſſert. Theolog.* Part. I. faſcic. II. n. IV. p. 143. ſqq. *Zenckelii* diſſ. philol *de ſepultura Chriſti*, ibidem edita faſcic. IV. n. II. p. 306 ſqq. ne quid de illis dicam, quæ ſpaſſim ſæpe a Viris doctis hac de re adducta fuerunt: vel occaſione S. S. paſſionis, uti *Sagittario*, *Bynæo*, *J. G. te Water*, aliisque, & noviſſime ab auctore *Breviarii Antiquitatum, ad illuſtrandam paſſionis Chriſti hiſtoriam pertinentium* Halæ 1763. 8vo. editi,

333. neſcio unde, hoc modo adfert: Κοπριος ανηρ·] ὡς απο δημου, λεγει δε τον κοπρολογον· Κυπρος, νησος της Αττικης, ὁθεν το εθνικον Κυπριος· παιζει δε εν τῃ των ονοματων ὁμοιοτητι. equidem, rejecta voce κηπυρυ, ultimam *Salmaſii* lectionem amplecti mallem: κηπυρος enim quid hoc loco faciat, fateor me perſpicere non poſſe: quantumvis enim *hortulanus* eo quidem nomine κοπριος, *ſtercorarius*, dici poſſit, quo *hortum* ſuum ſtato tempore *ſtercore* implet, ad maturandam promovendamque fertilitatem, couvicii tamen cauſſá *hortulani* nomen adhiberi potuiſſe, quo hic omnino ſumi debet, haud facile largiar: ſed tanti id non eſt, ut diutius illi immorer:

editi qui Caput XXXVII. *sepulturæ Christi* impendit p. 159-164. vel narrationis Euangelicæ, uti *Aretio*, *Nisanio*, *Lampio*, *Wolfio*, &c. vel quæ passim hac de re arrepta occasione fuerunt observata; uti a *Thoma Millesio* ad *Cyrillum* Hierosol. *Catech.* IV. p. 52. *Catech.* XIV. p. 191. Escuche in Betragtung der Jüdischen Gräber Vol. I. Tom. XI. der Erläuterung der Heiligen Schrift aus morgenlandischen Reisebeschreibungen: *Suicero* in *Exposit. Symboli Niceno-Cpolitani* Cap. XII. §. II. p. 253. sqq. *Is. Casaubono* Exercit. XVI. *in Baronii Annales* Cap. XCVIII. p. 656. ne quid de *Seligmanno* & *Trillero* dicam, de quibus *Wolfius* in *Curis Philol.* Tom. I. p. 416.

Sepulcrum Christi priusquam deseramus, obiter quædam monere habeo, de caussis, cur in *horto* sepultus Dominus fuisse credatur: Cel. *Lampii* hac de re sententia exstat in *Comment. in Joann.* T. III. p. 646. ubi postquam *sepulcra* in *hortis* structa fuisse adseruisset, tum ut resurrectionem corporum, exemplo florum, & revirescentium quotannis herbarum adumbrarent, tum etiam ut mortem sibi continuo ob oculos versantem haberent: *hinc*, inquit, *& Christus passioni, quam in horto incepit, etiam in horto ultimam adplicuit manum:* —— alii tamen *passionem* & *sepulturam* Christi in *horto*, adumbrasse Adami & Evæ peccatum in *horto* Edene commissum censent: clarissime *S. Athanasius* in *Quæst. ad Antioch.* p. m. 392. B. Tom. II. Opp. και δια τουτο εν ΚΗΠΩι το παθος του Χριστου γεγονεν, επειδη εν ΠΑΡΑΔΕΙΣΩι παρεβη ο Αδαμ· tendit & huc *Cyrillus Hierosol. Catech.* XIV. p. m. 192. cujus verba, licet allegoriis plena, elegantissima tamen, adscriberem, si propositum meum, tuumque, Lector, otium longiorem moram paterentur: —— paullo aliter *Nicolaus* philosophatur IIII. de *Sep. Hebr.*

 XIII.

XIII. §. X. p. 284. *Nec silentio*, inquiens, *prætereundum est, quod sepulcrum Christi in horto amœnissimo, floribus pulcerrimis ornato (situm fuerit) ut discamus, quod corda nostra & mentes nostræ instar horti esse debeant, floribus omnis generis & fructibus bonarum virtutum præditi. Sit ibi rosa rubicunda patientiæ, lilium album innocentiæ*, &c. *Ut anima nostra dicere possit Cantic. IV. veniat dilectus meus in hortum* &c. forsan nimis subtiliter: interim quæ de animæ cum horto comparatione habet, fere expressa censeas ex *Macario Ægyptio*, cujus locus hanc in rem egregius exstat *homil.* XXXIII. §. III. p. m. 396. ed. *Pritii*, (*Opp. Macarii* Lipſ. 1714. 8vo.) quod indicasse sufficit: —— equidem si dicam, ut sentio, relictis reliquorum rationibus, *Athanasii* explicationem, ut omnium simplicissimam, lubentissime amplectar: hæc de sepulcro Christi Domini pro ratione instituti nostri satis:

Etiamnunc in Oriente Principes viros *sepulcra* sua in *hortis* villisque struere solere, ex Itineribus probat *Escuche* ad *Matth.* XXVII. 26. Vol. I. der Erlauterung der Heiligen Schrift Tom. III. part. II. p. 94. ſq. —— adde omnino *Engelb. Kæmpferi Amœnitat. Exoticar.* Fascic. II. *Relat.* VII. p. 366. ſqq. ubi duorum Illustrium Persiæ Poëtarum, *Sjeich Chodsja Hafès* & *Sjeich Saädi Sjirasi*, sepulcra, in amœnissimis hortis sita satis luculenter describit: de Muhamedanorum, Indiam incolentium, Cepotaphiis lege omnino *Historiam Hodiernam* Tom. III. P. IIII. p. 413. P. V. p. 569. —— exempla singularia Regis Sumatræ in horto Palatii conditi ibidem Tom. II. P. III. p. 322. & Sultanis Solimanni Tom. IIII. pag. 381. habentur:

Sed propero ad Græcos: si quidem nec illos *Cepotaphiis* caruisse constat:

IIII. De

IIII. De Græcis eundem ſepeliendorum in *hortis* Cadaverum morem obſervantibus teſtari poſſunt *Theophraſti* verba in *Teſtamento ſuo:* ubi, *volo*, ait, θαψαι δε και ἡμας ὁπου αν δοκη μαλιςα ἁρμοττον ειναι του κηπου, μηδεν περιεργον περι την ταφην, μητε περι το μνημειον ποιȣντας: apud *Diogen. Laërt.* Lib. v. Sect. 53. ſed hunc locum jam citaſſe video Cl. *de Rhoer* L. II. *Fer. Dav.* XXIX. p. 255. —— ſic & *Polemonem* Philoſophum οἱ μεν εν τῳ κηπῳ τȣ της Αρετης ἱερȣ ταφηναι (λεγονται) *non nulli in horto Templi Virtutis ſepultum fuiſſe* narrant ap *Philoſtrat.* Lib. I. *de Vit. Sophiſt.* Cap. XXV. §. XI. p. 543. ed. Lipſ. quem locum ante me citavit *J. G. te Watèr Obſ. ad hiſt. Sep. Chriſti* p. 27. —— paria colligere ex eodem *Philoſtrato* licet Lib. II. *de V. S.* Cap. XXX. p. 623. ubi de *Philiſco* κεκτημενος δε, inquit, Αθηνησι χωριον ȣκ αηδες, ȣκ εν αυτῳ εταφη, αλλ' εν τῃ Ακαδημιᾳ· *prædium cum Athenis haberet non injucundum, in eo tamen ſepultus non eſt, ſed in Academia:* quibus verbis videtur indicari, opinatos quidem multos fuiſſe, ipſum in prædio ſuo conditum iri, vel ſic tamen non ibi, ſed in Academia ſepultum fuiſſe: ac proin hinc quoque, ritum *ſepulcrorum* in *hortis prædiisque* ſtruendorum Athenis uſu tritum fuiſſe, haud obſcuro indicio colligas: —— porro idem *J. G. te Water* refert huc lapidem *Sponii*, editum in ejus *Voyage d'Italie* Tom. III. p. m. 119. ubi hæc habentur:

ΦΑΒΙΟΣ. ΣΟΣΙΜΟΣ. ΚΑΤΑΣΚΕΥΑΣΑΣ. ΣΟΡΟΝ. ΕΘΕΤΟ. ΕΠΙ. ΤΟΠΟΥ. ΚΑΘΑΡΟΥ. ΠΡΟ. ΤΗΣ. ΠΟΛΕΩΣ. ΠΡΟΣ. ΤΩι. ΣΑΜΒΑΘΕΙΩι. ΕΝ. ΤΩι. ΧΑΛΔΑΙΟΥ. ΠΕΡΙΒΟΛΩι. ΠΑΡΑ. ΤΗΝ. ΔΗΜΟΣΙΑΝ. ΟΔΟΝ.

& pertinet etiam, modo illud περιβολῳ cum *Sponio* ver-

vertas *dans Le Jardin*, in *horto*, quod aliis displicet, aliis probatur: vide quæ supra diximus Cap. v. §. 1. p. 69. —— denique forsan huc spectat marmor, quod habetur inter *Oxoniensia* P. II. n. CXLI. p. 276. & ap. *Reines*. cl. XX. n. CCCXXV. p. 972.

ΙΩΑΝΝΗΣ ΡΟΥΦΙΝΟΥ ΣΜΥΡΝΑΙΟΣ

ΣΥΜΒΟΥΛΙΟΓΑ ΕΔΩΡΗΣΑ ΜΗ *Sic* ΤΟ ΚΗΠΙΟΝ

Ρ

ΤΟΥΤΟ ΘΕΟΔΩΡΩ ΤΩ ΕΜΩ ΓΝΗΣ ΕΚΓΟΝΩ

ΚΑΙ ΠΝΕΥΜΑΤΙΚΩ ΥΙΩ

ubi sigillatim quidem κηπιον occurrit, sepulcrale tamen monumentum esse, adeoque *hortum* indicari, sepulcro adsignatum, equidem mihi persuasi.

Græcos priusquam deseram, memorare debeo sepulcrum Cyri Majoris in *borto* structum, uti ex luculenta *Arriani* descriptione patet, cujus jam supra meminimus §. 1. Magnus enim Alexander apud Pasargadas veniens, ubi istud erat monumentum, singula, quæ aderant, diligenter oculis lustravit: teste *Arriano* Lib. VI. *de Exp. Alex.* Cap. XXIX p. m. 271. sq. ed. *Gronov.* qui, Aristobulum, ait, referre: ειναι εν πασαργαδαις εν τω ΠΑΡΑΔΕΙΣΩι τω βασιλικω Κυρϰ εκεινϰ ΤΑΦΟΝ· καὶ περι αὐτον ΑΛΣΟΣ εμπεφυτευσθαι δενδρων παντοιων, και ΥΔΑΤΙ ειναι καταρρυτον· και ΠΟΑΝ βαθειαν πεφυκεναι εν τω λειμωνι· και αυτον δε τον ταφον τα κατω λιθω τετραπεδω ες τετραγωνον σχημα πεποιησθαι· ανωθεν δε οικημα επειναι λιθινον εστεγασμενον, θυριδα εχον Φερϰσαν εσω στενην, ως μολις αν ἑνι ανδρι ϰ μεγαλω πολλα κακοπαθοντι παρελθειν· εν δε τω οικηματι πυελον χρυσην κεισθαι, ἱνα το σωμα τϰ Κυρϰ ετεθαπτο. κ. τ. λ. convenit etiam *Strabo* Lib. XV. *Geogr.* p. m. 1061. Tom. II. qui diserte

quo-

quoque, ειτε εις Πασαργαδας, inquit, ἡκε, (scil. Αλεξανδρος) και τουτο δ' ην βασιλειον αρχαιον· ενταυθα δε και τον Κυρου ΤΑΦΟΝ ειδεν εν ΠΑΡΑΔΕΙΣΩι, πυργον ου μεγαν, τῳ δασει των ΔΕΝΔΡΩΝ εναποκεκρυμμενον, κατω μεν στερεον, ανω δε στεγην εχοντα και σηκον. στενην τελεως εχοντα την εισοδον· conf. omnino *B. Brissonium de Regio Persarum Principatu* Lib. I. Cap. CCXLVII. p. m. 322. sqq. unde sua quasi cum pulvisculo abrasit *Nicol.* II. *de Sep. Hebr.* X. §. VI. p. 72. sq. junge *Rupertum*, doctum utique virum, ad *Besoldi Synopsin min.* Cap. V. p. 125. sq.

Spectat & huc fortassis sepulcrum sive templum *Beli*, descriptum a *Strabone* Lib. XVI. p. 1073. T. II. sic certe verba Geographi se habent, ut crederes *hortos*, quos super flumine esse dixerat, adjacuisse sepulcro Beli: 'Η δ' ανωτατω, ait, στεγη προσβασεις κλιμακωτας εχει, παρακειμενους δε αυταις, και κοχλιας, δι' ὡν το ὑδωρ ανηγον εις τον ΚΗΠΟΝ, απο του Ευφρατου συνεχως οἱ προς τουτο τεταγμενοι· ὁ γαρ ποταμος δια μεσον ῥει της πολεως, σταδιαιος το πλατος· ΕΠΙ ΔΕ ΤΩι ΠΟΤΑΜΩι 'Ο ΚΗΠΟΣ. ΕΣΤΙ ΔΕ ΚΑΙ 'Ο ΤΟΥ ΒΗΛΟΥ ΤΑΦΟΣ ΑΥΤΟΘΙ, νυν μεν κατεσκαμμενος, Ξερξης δ'αυτον κατεσπασεν, ὡς φασιν· κ. τ. λ. modo ne illud αυτοθι de universa urbe potius, quam stricte de illo loco, ubi erant horti, intelligi debeat: quod tamen clare non indicatur: ceterum *Strabonis* descriptionem copiosius exsequitur *Curtius* Lib. V. Cap. I. ubi *hortorum* quoque meminit, longius tamen eos a monumento Beli sejungens: exstant & aliæ de eodem narrationes apud *Arrianum* Lib. VII. *Exped. Alex.* p. 296. *Ælian.* XIII. *Var. hist.* 3. aliosque: conf. *Casaub.* ab *Strab.* l. l. *Freinshem.* ad *Curt.* p. 311. ed. *Snakenb. Nicol.* II. *de S. H.* X. §. II. p. 70.

V. Relicta Græcia & Oriente Romam propero: K 5 Ro-

Romæ certe ſimilem ſepulturæ modum uſitatum fuiſſe colligitur ex *Papiniano* ICto, qui *loca pura intra maceriam ſepulcrorum*, *HORTIS vel ceteris culturis ſervata* memorat l. 73. §. 1. *π. de contrab. emt.* —— Idem docent quoque varia, quæ paſſim proſtant, exempla eorum, qui in hortis villisque ſuis ſepulcra ſibi ſtruxerunt; ſic Magni *Pompeji* reliquias uxor Cornelia in villa ejus Albana condidit, teſte *Plutarcho* in *Pompejo* p. 662. A. Tom. I. Opp. τα δε λειψανα τυ Πομπηιυ, Κορνηλια δεξαμενη, κομισθεντα περι τον Αλβανον εθηκεν· quod quidem Pompeji ſepulcrum etiam nunc durare, idemque eſſe, quod vulgo Horatiorum & Curiatiorum monumentum dicitur, cenſet *R. Vulpius* in *Vet. Lat. prof.* Lib. XII. Cap. VI. p. 70. Tom. VII. qui de aliis in eodem Albano agro ſepulcris ibidem ſatis diligenter agit: —— ſepulcra quoque in *hortis Salluſtianis* fuiſſe colligi ex *Plinio* poſſe videtur *VII.* 16. med. ubi *conditorium hortorum Salluſtianorum* memorat: Conf. *Montfaucon. Diar. Ital.* Cap. XV. —— ſic & *Caligulæ* Imp. *cadaver clam in hortos Lamianos aſportatum, & tumultuario rogo ſemiambuſtum, levi ceſpite obrutum eſt: poſtea per ſorores, ab exilio reverſas, erutum, crematum, ſepultumque:* apud *Sueton.* Cap. LIX. *horti* autem *Lamiani* πλησιον εισι της πολεως, ut ait *Philo Legat. ad Cajum* p. 1040. E. ed. *Hoeſchel.* —— porro *Galbæ* caput, & *ceterum truncum Argius in privatis ejus hortis Aureliæ viæ ſepulturæ dedit:* teſte eodem *Sueton.* Cap. XX. —— ſpectat & huc *gentile Domitiorum monumentum, quod proſpicitur e Campo Martio, impoſitum COLLI HORTVLORVM:* in quo *Neronis reliquias Ecloge & Alexandra nutrices depoſuerunt*, ap. eundem *Sueton.* Cap. 50. collis autem ille, qui hodie *Pincius* eſt, dicebatur *hortulorum*, ob frequentiam *hortorum*, præ-

prædiorumque, quæ in eo erant: unde credibile eſt, monumentum iſtud in uno hortorum iſtorum fuiſſe poſitum: —— porro *Paris* etiam, Praſinæ factionis ſaltator, intimus Domitiani Imp. amicus, ſepultus eſt in *horto*, ædibus contiguo, quas prope Antiochiam ſibi ſtruxerat: auctor eſt *Malalas* in *Chronographia* Tom. I. p. 341. ed. Oxon. ὁςις Παρις, ορχηςης, εκει απελθων, ᾤκει εξω της αυτης πολεως, κτισας ἑαυτῳ οικον προαςειον, και λȣτρον, ὁπερ εςιν ἑως της νυν, το λεγομενον, ΠΑΡΑΔΕΙΣΟΣ και ὁ οικος· κακει τελευτησας, κειται εν σορῳ ὀπισθεν τȣ οικȣ, εν τοις ΚΗΠΟΙΣ αυτȣ. hæc *Malalas*, ſatis quidem, ut videtur, clare: ipſa tamen narratio falſa eſt; aliorumque teſtimoniis contraria: qui tamen nec ipſi conveniunt: *Suetonius* in *Domitiano* Cap. 3. Principem hunc uxorem ſuam *Domitiam repudiaſſe*, refert, *Paridis hiſtrionis amore deperditam: Dio Caſſius* vero *Paridis* etiam ſupplicium addit in *Excerptis Xiphilini* Lib. LXVII. p. 1102. T. II. ed. noviſſ. ubi copioſe rem exponit: την δε γυναικα την Δομιτιαν εβουλευσατο μεν σφαξαι εν μοιχειᾳ· παρακληθεις δε ὑπο τȣ Ουρσȣ, απεπεμψατο· τον Παριν, τον ορχηςην, εν μεσῃ τῃ ὁδῳ δι' αυτην φονευσας· επειδη δε πολλοι, και ανθεσι και μυροις τον τοπον εκεινον ετιμων, εκελευσε τȣτȣς σφαττεσθαι. cum *Dione Caſſio* facit etiam *Schol.* ad *Juven.* VI. 87. imo diſcipulum hujus Paridis, adhuc impuberem, ab ipſo etiam ſublatum fuiſſe *Sueton.* narrat Cap. X. —— ex his omnibus ſtatim, damnata *Malalae* fide, crederes, hominem hunc Imp. Domitiano vehementer inviſum fuiſſe: ſed obſtat iterum *Martialis*: —— de *Martiale* quid dicam neſcio: Ille Paridem magnificentiſſimo, & invidendo elogio mactat Lib. XI. *Epigr.* XIV.

Quiſ-

Quisquis Flaminiam teris viator,
Noli nobile præterire marmor:
Urbis deliciæ, salesque Nili,
Ars & gratia, lusus & voluptas,
Romani decus & dolor theatri,
Atque omnes Veneres Cupidinesque
Hoc sunt condita, quo Paris, sepulcro:

Putabimusne enim, *Martialem*, summum Imp. Domitiani assentatorem, tam magnifice de tanto principis inimico palam loqui ausum fuisse? an etiam præsentissimam hanc injuriam æquo animo tulisse Imperatorem censebimus, qui in eos, qui locum, ubi Paris interfectus, & forsan etiam sepultus fuerat, floribus consperserant, capitali supplicio animadverti jussit? hæc certe sibi non constant: si *Suetonium* & *Martialem*, rejecto *Dione*, comparare velles, crederes, primum quidem repudiata Domitia, Paridi Principem succensuisse, dein vero iterum in favorem ipsum recepisse: atque sic *Malalæ* etiam narratio procederet, nisi quod ille *Antiochiæ*, *Martialis* vero in via *Flaminia* sepultum fuisse narret: equidem quomodo singulas expositiones mutuo componere commode possim, non video: Cogitaveram quidem ex uno tres *Parides* facere, sed nec id satis placet: sic enim nodus magis secatur, quam solvitur; videant acutiores, si id operæ pretium arbitrati fuerint: ——— Pergo ego in recensendis Romanorum Cepotaphiis: ——— sic enim *Fænius* filiæ *Antullæ* CEPOTAPHIUM struxit ap. *Martialem* Lib. I. Epigr. CXV. cujus jam supra meminimus Cap. IIII. §. V. p. 62.

Hos

Hos tibi vicinos, Faustine, Telesphorus HORTOS
Fænius, & breve RVS, udaque PRATA tenet:
Condidit hic natæ cineres, nomenque sacravit,
Quod legis, ANTVLLÆ, dignior ipse legi: &c.

——— Præterea Imp. *Hadrianus*, cujus reliquiæ varias subierunt vicissitudines, *primum sepultus est in villa Ciceroniana Puteolis:* teste *Spartiano* Cap. XXV. dein *ab Antonino inde translatæ sunt* ejus reliquiæ *Romam*, & *in HORTIS Domitiæ collocatæ:* ap. *Capitolin.* in *Anton. Pio* Cap. V. hinc alio iterum concesserunt conf. *D. V.* ad *D. Cassium* Tom. II. p. 1170. ——— Atque hæc fere *Cepotaphia* Romana sunt, quæ expresse in scriptis auctorum monumentis memorantur: ——— longe plura nobis exhibent vetusti lapides, in quibus passim HORTI occurrunt, SEPVLCRIS additi: ——— sic apud *Gruterum:* ARMARIVM. DISTEGVM. [1] CVM. *taberna.* &. *hortulo* p. CCCLXXXIII. 4. (cui convenit MEMORIA. ITEM. DISTEGVM. CVM. TABERNA. ET. HORTVLO ap. *Donium* class. XVII. n. 17. p. 455. & *Murator.* Tom. II. p. DCCCLXXXV. 5.) & HI. HORTI. ITA. VT. OPTIMI. MAXIMI. QVE. SINT. CINERIBVS. SERVIANT. MEIS. p. DCXXXVI. 12. (de hoc marmore conf. *S. Orsato Marmi Eruditi* Lett. II. p. m. 22.) porro: AGRVM. SIVE. HORTVM. CVM. ÆDIFITIO. MACERIA. CLVSVM. CONSECRAVERVNT: p. DCLXXI. 6. (& apud *Manilli villa Borghese descrita* p. 50. ed. Rom. conf. *Schurzfleischii Acta Lite-*

[1] DISTEGVM.] de hac voce supra egimus Cap. V. §. XI. p. 109. adde nunc *Ant. Rivautellam* & *Jo. Pet. Ricolvium* in eleganti præfat. ad Tom. I. *Marm. Taurinens* p. XVIII.

teraria p. 63. ſq.) tum HORTOS. COHERENTES. SIVE. SVBVRBANVM. TRADIDIT. p. DCCLV. 8. LOCVS. CVM. HORTVLO. RELIGIOSO. ET. ÆDIFICIOLIS. SVIS. MVRO. CINCTVS. AD. SEPVLCRVM. PERTINET. DCCCIX. 2. HORTVLO. ÆDICVL. ET. SACELL. CVM. DISTEG. FECIT. p. DCCCXXVII. 6. PRÆCEPIT. VT. AD. ID. SEPVLCRVM. HORTVS. QVI. EST. CINCTVS. MACERIA. ET. DIRTA. AJVNCTA. *Sic* JANVÆ. CVSTODIÆ. CAVSSA. SEPVLCRO. CEDAT. DCCCCLXIV. 3. tum apud *Fabrettum Inſcr. Domeſt.* Cap. II. n. 155. p. 85. MEMORIOLAM. CVM. ORTVLO. [1] SVMJACENTE. *Sic* & Cap. III. n. 197. p. 150. & Cap. X. n. 364. p. 715. ITA. NE. A. QVOQVAM. EORVM. HORTVLVS. ALIENETVR: apud *Gudium:* HORTOS. CVM. ÆDIFICIO. HVIC. SEPVLCRO. JVNCTO. VIVOS. DONAVIT. p. CCVII. 3. (in lapide *L. Ogii Patrocli*, de quo ſupra Cap. V. §. XIII. p. 114.) apud *Donium: monumentum.* CVM. ORTO. SVO. claſſ. II. n. 176. p. 105. tum MON*umentum.* CVM HORTO. SVO. QVI. EST. INTRA. HABITATIONES. ap. *A. M. Lupi* ad *Epit. S. Severæ Martyris* p. 114. & ibid. p. 115. HOC. MONVMEN*tum.* CVM. HORTO. ET. STABVLO. ET. MERITORIS: & *Murat.* MXL. 5. præterea IN. HORTO. EA. OMNIA. FECIT. QVÆ. PERTINENT. AD. MONVMENTVM. ap. *Montfaucon. Diar. Ital.* Cap. XXV. p. 359. *Gorium Inſcr. Etrur.* Tom. I. p. 195. n. 8. *Murator.* T. II. p. DCCCLXXXV. 7. tandem etiam ap. *Murator.* T. III. p. MCCCLXVI. 9. ROSARIVM. CVM. VINIOLA: & antea jam ap. *Fabrett.* Cap. III. p. 223. n. 594. *Buonaroti Oſſervaz. ſopra i vaſi*

1. ORTVLO & ORTO.] pro *hortulo* & *horto:* contra VIVAT. VT. HOSSA. COLAT. pro OSSA. In lapide edito dans la *Voyage Literaire des deux Religieux Benedictins de la Congregation de St. Maur* Tom. I. p. 107. conf. de hoc adſpirationis malo & perverſo uſu *Rutgerſ. Lection. Venuſin.* Cap. XIV. p. 306. *Gorium* ad *Donii Inſcr.* claſſ. II. p. 105.

i vasi di vetro p. 120. conf. ſupra *Diatr.* Cap. V. §. IIII. p. 71. —— porro ſpectant huc omnino CEPOTAPHIA illa, quæ ſupra congeſſimus in *Conſpectu Marmorum, in quibus vox CEPOTAPHIVM occurrit* Cap. I. §. II. p. 7.—21. —— denique in marmoribus offendimus etiam *viridaria*, quæ ab *hortis* nihil diſtant: ac proin ſi quis *viridarium* ſepulcro adſignaverit, illum ſibi *Cepotaphium* ſtruxiſſe commode adferes: VIRIDARIA ejusmodi occurrunt apud *Fabrettum* Cap. III. n. 274. p. 158. & n. 279. p. 159. etiam not. Cap. III. p. 225. n. LXI. LXII. 596. *Gorium* Tom. I. *Inſcr. Etrur.* p. 227. *Donium* claſſ. V. n. 153. *Gruterum* p. DCXXI. 2. conf. de illis præter *Fabrettum*, quæ habet *Gorius* ad *Donium* l. c. p. 201. & de voce *DD. VV.* ad *Phædrum* II. *fab.* V. 14.

VI. Satis de Cepotaphiis gentilium egimus, variarum gentium, variæ ætatis: Tranſeo ad Chriſtianos: Nam & hi, exemplum, credo, Domini ſui Chriſti ſecuti, cadavera ſua haud raro in *hortis* ſepeliri curarunt: ſic *B. Hilaria* (de qua *Martyrologium Romanum* ad d. 3. *Decemb.* p. 530. ed. *Baronii*) tempore Numeriani Imperatoris *Cœmiterium* in *horto* ſuo ſtruxit, ibique primum maritum Claudium, dein Jaſonem & Maurum, filios ſuos, martyres, deponi curavit, dein ipſa eodem tumulo condita eſt: uti ex *Martyrologiis* tradit *Aringhus Romæ Subterraneæ* Lib. IIII. Cap. XXXII. p. 102. ed. Colon. Tom. II. —— præterea Apollonia quædam, (forſan eadem, quæ in *Martyrologio Romano* memoratur ad d. 9. *Februar.* p. 74. 75.) eximiæ pietatis matrona, *ſepulcrum* in *viridario* ſuo ædificavit, ibique *Anaſtaſiam*, martyrio, tempore Diocletiani Imp., coronatam, (v. *Baronium* ad *Martyrol. Rom.* 25. *Decembr.* p. 561. A.) ſepelivit: conf.
eun-

eundem *Aringhum* Lib. IV. Cap. XLII. p. 174. §. 23. —— porro ſpectat huc *Gregorii* Epiſcopi decretum, ſat longum, quod habetur ap. *Margarinum* inter *Inſcript. Antiq. Baſilicæ S. Paulli ad viam Oſtienſem* N. 243. p. XVIII. (Romæ 1654 Fol. ed.) totum adſcribere commode non poſſum: vs. 9. ſic habetur: - - - - - - - - ET. VALDE. INCONGRVVM. AC. ESSE. DVRISSIMVM. VIDERETVR. VT. ILLA. EI. SPECIALITER. POSSESSIO. NON. SERVIRET. IN. QVA. PALMAM. SVMENS. MARTYRII. CAPITE. EST. TRVNCATVS. VT. VISERET. VTILE. JVDICAVIMVS. EANDEM. MASSAM. QVÆ. AQVA. SALVIAS. NVNCVPATVR. CVM. OMNIBVS. FVNDIS. SVIS. ID. EST. CELLA. VINARIA. ANTONINIANO. VILLA. PERTVSA. BIFVRCA. PRIMINIANO. CASSIANO. SILONIS. CORNELI. TESSELATA. ATQVE. CORNELIANO. CVM. OMNI. JVRE. INSTRVCTO. INSTRVMENTO. QVE. SVO. ET. OMNIBVS. GENERALITER. AD. EAM. PERTINENTIBVS. CVM. XRI. GRATIA. LVMINARIBVS. DEPVTARE. ADICIENTES. ETIAM EIDEM. CESSIONI. HORTOS. DVO. POSITOS. INTER. TIBERIM. ET. PORTICVS. IPSIVS. ECCLESIÆ. EVNTIBVS. A. PORTA. CIVITATIS. PARTE. DEXTRA. QVOS. DIVIDIT. FLVVIVS. ALMON. INTER. ADFINES. HORTI. MONASTERII. SCI. STEPHANI. QVOD. EST. ANCILLARVM. DI. POSITVM. AD. SCVM. PAVLVM. ET. ADFINES. POSSESSIONIS. PISINIAN. SIMVL. ET. TERRVLAS. QVÆ. VOCANTVR. FOSSA. LATRONIS. POSITAS. IDEM. IVXTA. EANDEM. PORTICVM. EVNTIBVS. SIMILITER. A. PORTA. PARTE. SINISTRA. VBI. NVNC. VINEÆ. FACTÆ. SVNT. QVÆ. TERRVLÆ. COHÆRENT. & deinde - - - - - - - - - - IDCIRCO. EXPERIENTIÆ. TVÆ. PRÆCIPIMVS. VT. SVPRA. SCRIPTAM. MASSAM. AQVAS. SALVIAS. CVM. PRÆNOMINATIS. OMNIBVS. FVNDIS. SVIS. NEC. NON. HORTVS. ATQVE. TER-

TERRVLAS. QVÆ. SVPERIVS. CONTINENTVR. DE. BREVIBVS. [1] SVIS. DELERE. DEBEAT. AC. AVFERRE. ET. CVNCTA. AD. NOMEN. PRÆDICTÆ. ECCLESIÆ. BEATI. PAVLLI. APOSTOLI. TRADERE. cet. equidem certe quoddam in his *Cepotaphium* invenire mihi videor: & forsan idem est HORTVS LVCILLÆ, cujus meminit Auctor *ἀνώνυμος* Libri *de Mirabilibus urbis Romæ*, quem edidit *Montfaucon.* in *Diario Italico* Cap. XX. ubi p. 286. hæc habentur: *Inde regio Fastiolæ ad Sanctum Nereum: vicus Canarius, ad Sanctum Georgium, ubi fuit domus Lucillæ, & est ibi velum aureum: aqua Salvia ad Sanctum Anastasium, ubi decollatus fuit Sanctus Paulus: HORTVS LVCILLÆ, ubi est ECCLESIA B. PAVLI, & ibi requiescit:* ad quem locum *Montfauconius* in *notis* sic scribit: *hortus Lucillæ nescio, quid sit, an uspiam tradatur:* p. 299. sq. vides autem HORTVM, & ECCLESIAM, in loco ubi decollatus fuit S. Paullus, pariter ut apud *Margarinum:* nisi quod illa fuerint extra portam Appiam, hæc in via Ostiensi: —— clarior CEPOTAPHII memoria est in lapide Græco, multis de caussis valde memorabili, quem exhibet *Jacutius* in *Specim. Antiq. Christian. ad tit. Bonusæ & Mennæ* Exerc. II. p. 45. operæ pretium factu-

[1] BREVIBVS. SVIS.] substantive sumi hæc vox debet, tumque *tabellas* indicat, *schedasque chartaceas:* usu, medio demum ævo, & labente in deterius sermone Latino, recepto: v. *Cellarii Curas Posteriores* p. 203. *Guntheri Latinit. restitut.* Tom. I. p. 74. *J. G. Vossium* VI. *de vitiis Sermonis* p. 313. 314. Opp. Tom. VI. *du Cangium Glossar. Med. & inf. Latin. v. breve:* hinc in *Glossis Isidori: brevigerulus: qui breve gerit:* ubi conf. *D. V. not.* p. 10. T. II. *Lex. Philol. Martini* ed. *Clerici:* junge *If. Pontani* not. ad. *Poëmata sua* p. 280. 281. (ed. Amst. 1634. 12mo.) nescio an & huc *Sosipater Charisius* spectet, qui Lib. I. *Inst. Gramm.* p. 20. lin. 45. ed. *Putschii* inter neutra pluralia etiam *brevia* numerat:

factурum me esse arbitror, si integram cum *Jacutii* observationibus tuis, Lector, oculis subjecerim: quibus & meas quantulascunque notulas adjici ne gravere: peculiari illam schedulæ addi typorum angustiæ jubebant: inspice tabulam, huic paginæ e regione adpositam: literis vulgaribus illam sic exprimo:

Εν τωδε τῳ τοπῳ τȣ καταγαιȣ την καταπαυσιν ποιησας Θαιδωρος ανατεθη, λειψων τῳ τε τοποφυλακι και φοσσορι δηναριȣς δεκα· παραγγελλω δε εν ονοματι και μεσιτειᾳ Θεȣ, μητε εν ταις ϛοαις μητε εν τῳ κηπῳ πυελον, η σωμα τεθηναι, παρ' εξ των αρχηθεν ὡρισμενων πυελων δυο· ὁ δε αιτησομενος, και ὁ επιτρεψων τεθηναι, λογον τῳ Κυριῳ δωσουσιν·

Quæ sic verto:

In hoc loculo subterranei (sepulcri) *dormitorio* (seu *loco dormitionis*) *facto*, *Theodorus depositus est*, *relinquens loci custodi & fossori denarios decem: pronuncio autem in nomine & mediatione Dei*, *ut nec in porticibus*, *nec in horto*, *arca corpusve ponatur*, *exceptis*, *quas ab initio designavi*, *arculis binis: qui vero petierit*, *quique permiserit* (arcam corpusve alienum) *deponi*, *rationem Domino reddent.*

EN] scribitur hic E forma, ut dicunt, lunata: hoc modo Є. sed quia typographus illa destituebatur, satis duxi semel eam Legentium oculis si repræsentarem: illam jam secundo seculo usu teri cœpisse docet *A. M. Lupi* in egregia *Diss. ad Epit. Severæ Mart.* p. 151. sqq. in recentioribus Græcorum marmoribus frequentissime observatur: in Latinis lapidibus rarius occurrit: vide tamen exemplum

ad P

ΑΠΑΥCΙΝ

ΠΟΦΥΛΑΚΙ

ΝΟΜΑΤΙ ΚΑΙ

ΕΝ Τω ΚΗΠω

ΘΕΝ ωΡΙCΜΕ

ΕΠΙΤΡΕΨωΝ

linquens. & loci. cu-
icibus. neque. in. horto.
vero. petierit. &. qui.

plum in *Voyage Literaire des deux Benedictins* Tom. I. p. 7. n. 2. cæterum lunatam formam interdum effecisse, ut hæc litera cum O misceretur, exemplis docet *Ed. Corsinus* diss. 1. *ad Græca quædam Marm.* §. IIII. p. VII. sqq.] R. M. V. G

ΤΟΥ ΚΑΤΑΓΑΙΟΥ] alii κατάγειου scribunt: & recte utrique: prius tamen probavit *Coprogenes*, diligens orthographiæ observator, apud *Suidam* v. ἀνώγεον· contra ὑπόγειον, non ὑπογαιόν, & Lat. *hypogeum* scribi jubet *Burm.* ad *Petron.* Cap. CXI. p. 510. de confusione τῶν ΑΕ & Ε ap. Latinos dixi not. ad *Consp. Marm.* n. IIII. p. 9. 10. & not. ad marmor Brixianum Cap. v. §. XIII. p. 115. de Α & Ε & ΑΙ & Ε apud Græcos Cap. I. §. III. n. 2. p. 26. 27. adde nunc 2. *Tim.* II. 16. pro κενοφωνίαν, ut vulgo habetur, καινοφωνίαν legisse *Chrysosthomum* Tom. XII. Opp. ed. Francof. p. 570. D. conf. *Casauboniana* p. 90. ibique *J. C. Wolfii* notas p. 290. & *Cur. Philol. ad h. l.* Tom. IIII. p. 516. sic etiam *Joh.* XIX. 41. pro καινὸν μνημεῖον in *Cod. Cantabr.* ap. *Millium* p. 248. legebatur κενόν. junge exempla apud *Coteler.* ad Tom. I. *Monum. Eccles. Græcæ* p. 717. A. & *Schraderum* ad *Musæum de Her. & Leandro* vs. 105. p. 36. ceterum καταγαιὸν *locum* indicat *subterraneum*, convenitque cum ὑπογαίῳ vel ὑπογείῳ, cujus Lat. *hypogeum* occurrit ap. *Petronium*; opponitur vero illi ὑπερῷον v. *Nicol. de Luctu Græc.* Cap. XII p. m. 165.] Idem.

ΤΗΝ ΚΑΤΑΠΑΥΣΙΝ] *locum quietis*: non enim *mori*, sed *requiescere & dormire* dicebantur Christiani: v. *Bosii* not. ad *passion. S. Cæcil.* p. 89. sq. DD. VV. ad *Joh.* XI. 11. hinc ἀνάπαυσις de beato vita functorum statu *Apocal.* XIV. 13. Ναὶ, λέγει τὸ πνεῦμα, ἵνα ΑΝΑΠΑΥΣΩΝΤΑΙ ἐκ τῶν κόπων αὐτῶν, κ. τ. λ. convenit huic ἀναπαύομαι media forma: *requiescere facio*: in *Passione S. Bo-*

S. Bonifatiæ ab *Em. Bigotio* edita poſt *Palladii vitam Chryſoſthomi* p. 323. & paſſive: *requiem accipio, tumulo condor:* ανεπαη εν ειρηνη pro ανεπαυη ap. *Reineſ. Inſcr.* cl. xx. n. 37. p. 906. & ανεπ. cl. xx. n. 364. p. 981. nec καταπαυειν ſolum, ſed & ὑπνον εχειν, κοιμασθαι dicebantur: clariſſime *S. Macarius homil.* xv. §. xxxix. p. 224. ed. *Pritii:* ὑπνον ȣν λεγομεν και κοιμησιν των χριϛιανων θανατον: conf. omnino *Weitzii* not. ad. *Prudent.* I. καθημερ. xxvi. p. 548. ſq. & x. 56. p. 570. *H. W. v. Marle Spicil. Obſerv. in N. T.* p. 261. ſq. Eſcuche Erläuterung der H. S. Vol. I. Tom. xi. p. 290. ſic de *Lazaro:* ὁ φιλος ἡμων κεκοιμηται· ειρηκεν δε περι θανατȣ αυτȣ· ap. *Lucam* xi. 11. & de *filia Jairi:* το παιδιον καθευδει *Marc.* v. 39. quam rem inprimis illuſtrat cippus Popiliæ, quem ſupra dedimus Cap. II. §. II. p. 34. 35. ubi vs. penult. marito ait:

ΚΑΙ. ΛΕΓΕ. ΠΟΠΙΛΙΗΝ. ΕΥΔΕΙΝ. ΑΝΕΡ. ΟΥ. ΘΕΜΙΤΟΝ ΓΑΡ
ΘΝΗΣΚΕΙΝ. ΤΟΥΣ.ΑΓΑΘΟΥΣ.ΑΛΛ'.ΥΠΝΟΝ 'ΗΔΥΝ.ΕΧΕΙΝ·

hinc autem *requieſcit in pace, dormit in pace*, ſimil. in cippis Chriſtianorum, ſemper fere. v. *Buonaroti Sopra i vaſi di vetro* p. 51. ſq. ipſum *Jacutium* p. 37. not. 1. *Ed. Corſinum* diſſ. II. ad *Marm. vetuſta* p. xxx. ſq. *Boldett.* Lib. II. *Oſſervaz. ſopra i cimit.* Cap. vi. p. 393. ſqq. hinc quoque *ſepulcra*, vel potius *ſepulcreta*, κοιμητηρια dicebantur, quaſi dicas *requietoria:* v. *Jo. Chryſoſthomus* ſerm. xxxiv. εις το ονομα τȣ κοιμητηριȣ p. m. 431. ſqq. Tom. V. Opp. ed. Francof. *Fr. Perucci Pompe Funebri* Lib. vii. p. 145. *Boſii* not. ad *paſſion. S. Urbani* p. 120. ſqq. *Suicer. Expoſit. Symb. Niceno-Cpolitani* Cap. xii. §. II. p. 264. ſqq. *Nicol. I. de S. H. II.* xvii. p. 24. *de L. C.* Cap. iv. §. 2. Cap. xi. §. 7. 8. p. 67. a

vo-

vocibus παύω & ἀναπαύω descendit barbarum serioris ævi vocabulum *pausa*, de *morte*, in Epigraphe ap. *Pithœum Epigr. vet.* Lib. III. p. m. 108. n. 1. & *pausare* in marmoribus dans la *Voyage Literaire des deux Benedictins* Tom. I. p. 206. n. 2. & p. 210. n. 1. etiam *pausarius:*

Ante Christianos similem *dormiendi* notionem pro *morte* Hebræos adhibuisse ex S. S. constat: v. *Franc. Nansii* not. ad *Nonni Paraphr.* XI. 42. p. 128. unde factum fuit, ut non nulli hanc dictionem Hebräismi ream agerent: quos repulit *Pfochenius Diatr. de Linguæ N. T. puritate* Sect. CXIX. 89. p. m. 96. contra quem v. *Gatak. diss. de N. T. stilo* Cap. XLII. p. 151. F. Opp.

Hebræos dein imitatos Etruscos fuisse, qui defuncti imaginem, dormientis habitu, sepulcris imponere solebant, censet *Scip. Maffeji* in *Ragionamento sopra l'origine de'gli Etrusci & de' Latini* post ejus *Istoria Diplomatica* p. 234. junge Ill. *Bonarotæ Explic. Monum. vet.* §. XVII. p. 39. T. II. *Etruriæ Regalis:*

Quæ cum ita sint, adsurgere non possum *Dan. Heinsio Exercit. ad paraphr. Nonni* Cap. XXX. p. 526. ed. Lugd. Bat. paraphrasten suum acriter, ut solet, castiganti, quod ad Cap. XX. vs. 9. *Euang. Joann.* p. m. 210. de Christi Domini *morte*, ἐγρήσιμον ὝΠΝΟΝ ἰαύων dixisset: quasi *somnum* aliquomodo intellexisset, nec expresse satis mortem Domini consignasset: cum tamen rei Christianæ in primis intersit ut certi ea de re sint: quod licet verissime urgeat Vir doctus, vel sic tamen absolvi facile hac culpa *Nonnum* posse opinor: consideratis quæ de *somni* notione mox ex ipsis S. S. literis adstruximus: præterea poëtice *Nonnus* loquitur, adeoque major illi hac in re licentia debet tribui: præ-

fertim cum alicubi sæpius mortem Christi satis diligenter tradiderit:] Idem.

ΘΑΙΔΩΡΕΑΝΤΕΘΗ] quomodo hæc cum *Jacutio* verti possint: GRATIS SITUS EST: non perspicio; dicerem fere latere sub his defuncti nomen *Theodorus:* ΘΑΙΔΩΡΑΣ ΑΝΑΤΕΘΗ. vel ΘΕΩΔΩΡΟΣ ΑΝΑΤΕΘΗ: *Jacutius* fere videtur legisse: ΠΟΙΗϹΑϹΘΑΙ ΔΩΡΕΑΝ ΤΕΘΗ: sed nec id placet:] Idem.

ΦΟϹϹΟΡΙ] sane erat *fossorum* munus, in duro plerumque topho loculamenta ad tumulanda separatim cadavera excavare: exstatque ideo in *Aringhi* (T. II. p. 283.) ac *Fabretti* (p. 739.) Inscriptionibus *fossorum* mentio: hinc luce nitescit clarius, quod nempe in priscis titulis occurrentes siglæ FS, quas inepte pro *fratres* intellexit *Reinesius*, pro *fossores* haud dubie interpretentur:] M. IACUTIUS.

ΦΟϹϹΟΡΙ.] Rarior est hæc vox in Græcis libris, etiam recentioris ætatis: omissaque adeo a *du Cangio*, accuratissime alioquin hac in re versato: φοσσα tamen, & φοσσαν, φοσσιον, simil. occurrunt passim: v. *Glossas Nomicas* p. 46. ed. Paris. & *du Cangium Glossar. med. & inf. Græcit.* T. II. p. 1691. sqq. de ipsis *fossoribus* copiose & accurate, uti omnia, egit eruditissimus *Boldettus Osservaz. sopra i cimit. di SS. Martiri* Lib. I. Cap. XV. p. 59. sqq.] R. M. V. G.

☧.] *Denarios* notat hæc sigla: v. *Guthberleth Animadv. ad Inscr. Smyrn.* p. 136. sq. *Ernstii* not. ad *Valer. Probum de Notis* p. 154. (ed. Soranæ 1647. 4to.) *Corsini Notas Græcorum* p. 72. *Montfaucon. Palæograph. Græc.* Lib. II. Cap. VI. p. 162.] Idem.

ΘΥ] Hic notat ΘΕΟΥ. alioquin etiam θυγατερα indicat: v. eundem *Corsinum* p. 30. sq.] Idem.

ΚΗΠΩι] Quod in *horto* exstructum erat sepulcrum *cepotaphii* vel *cepotafii* nomine appellavere:

(κη-

(κῆπος enim est *hortus*, & τάφος *sepulcrum*) neque aliud proinde fuit servatoris Jesu Christi sepulcrum, de quo ait *Joannes* (c. XIX. vs. 41.) ἦν δὲ ἐν τῷ τόπῳ cet. sed gentiles hortum consueverunt addicere, ut hinc rosæ quotannis ad id pro more coronandum sepulcrum afferrentur:] IACVTIVS.

Compara eruditam *Gorii* notam, quam dedimus in *Conspectu Marmorum* N. VI. p. 13. & videbis fontem, unde sua derivavit *Jacutius:*] R. M. V. G.

ΠΥΕΛΟΝ] *Arcam* Lat. vertas, sic enim proprie dicitur: v. *Salmasii Exerc. Plin.* Tom. II. p. 849. differtque ἀπὸ τῆ σορῆ: conf. *Leichii Emend. Nov. ad Inscr. Græc. Murator.* p. 65. *Nicol.* I. *de S. H.* II. 3. p. 14. sq. *Brisson. de Regio Persarum Principatu* Lib. I. Cap. CCXLVIII. p. 323. adde *Suidam* v. πύελος p. 231. T. III. ed. Cantabrig.

Ceterum cum his Inscriptionis formulis convenit quodammodo lapis mendosissime, ut solent illi, editus a *Jo. Æg. Egmond v. d. Nyenburg* & *Jo. Heyman Reisen door Asien en Palæstina* Tom. I. p. 80. quem obiter emaculare conabor:

Ι ΩΩ ΑΑ ΙΙ Υ ΝΑΙΑΙΙVΙΙ Ι
ΟΙΣ ΚΑΙ ΘΡΕΜΜΑΣΙ ΜΗ ΔΕ
ΣΕΧΟΝΟΣ ΕΞΟΥΣΙΑΝ Μ
ΤΕ ΠΩΛΗΣΑΙ ΜΗΤΕ ΑΠΑΛΑ
ΤΡΙΩΣΑΙ ΕΙΔΕ ΤΙΣ ΑΠΑΛΑ
ΤΡΙΩΣΑΙ ΕΙΔΕ ΤΙΣ ΑΠΑΛΛΟ
ΤΡΙΩΣΗ ΔΩΣΕΙ ΤΩ ΦΙΕΚΩ * Φ
ΤΑΥΤΗΣ ΤΗΣ ΕΠΙΤΡΑΦΗΣ
ΑΠΟΚΕΙΤΑΙ ΑΝΤΙΓΡΑΦΟΝ
ΙΣΤΟ ΑΡΧΕΙΟΝΤΟ ΕΝ ΣΜΥΡΝΗ

Sic lego . . . . . αιλινη. ἑαυτοις. και. θρεμμασι. μηδενος. εχοντος. εξουσιαν. μητε. πωλησαι. μητε. απαλλοτριωσαι. ει. δε. τις. απαλλοτριωσαι. ι. ει. δε. τις. απαλλοτριωση. δωσει. τω. φισκω. δηναριυς. φ'. (*denarios* 500.) ταυτης. της. επιγραφης. αποκειται. αντιγραφον. εις. (vel ες pro εν) τῳ. αρχειῳ. τῳ. εν. σμυρνῃ.

Adde alium ibidem ſeq. pag. 81. editum lapidem, ubi vs. 4. hæc habentur:

ΔΙΑ ΤΗΣ ΕΠΙΓΡΑΦΗΣ ΤΗΣ ΚΕΧΑΡΑΙΜΕ-
ΝΗΣ: ΤΗ ΕΩΡΩΤΙΡΟ* ΝΟΗΣ ΟΤΕΙΝΟ
ΚΛΗΡΟΝΟΜΟΙ ΜΟΤ ΚΑΙ ΑΠΕΛΕΤΘΕΡΟΙ
ΕΧΟΝΤΕΣ* ΚΑΙ ΑΤΤΟΙ ΔΙΚΑΙΟΝΤΟΤ
ΤΑΦΗΝ ΑΙ ΕΝ ΤΩΝΝΗΜΑΤΙ ΧΩΡΙΕΤΟΤ*
ΕΠΕΙΣΕΝΕΓΚΕΙΝ ΤΗ ΣΟΡΩ ΕΝΗ ΕΓΩΚΑ
ΔΕΤΘΗΣΟΜΑΙ ΕΤΕΡΟΝ* ΝΕΚΡΟΝ Η ΕΤΕ-
ΡΑΝ ΕΠΙΘΕΙΝΑΙΣ ΟΡΟΝ ΤΩ ΜΝΗΜΕΙΩ
ΕΙΔΕ ΜΗ* ΕΑΝ ΕΠΕΙΣΕΝΕΓΚΩΣΙΝ ΠΑΡΑ
ΒΕΒΟΤΛΗΜΑΙ Η ΕΠΙΘΩΣΙΝ* ΑΠΟΔΟ-
ΣΟΤΣΙΝ ΚΑΙ ΑΤΤΟ: ΕΙΣ ΤΟΝ ΦΙΣΚΟΝ-
ΤΩΝ ΚΤΡΙΩΝ* ΑΤΤΟΚΡΑΤΟΡΩΝ ΔΗΝΑ-
ΡΙΑ ΠΕΝΤΑΚΙΣ ΧΙΛΙΑ.*

Marmor hoc memorabile utique eſt, multaque habet quæ ex noſtro lapide poſſint illuſtrari: ſic lego: δια. της. ε. τ. χ. τη. σορω. προνοησουσιν. οι. κληρονομοι. μου.

ι. ειδε. τις. α.] vana horum verborum repetitio eſt & ſupervacua; in marmore vel fuit, vel eſſe debuit μ. π. μ. απαλλοτριωσαι. ει. δε. τις. απαλλοτριωση. δωσει. τ. φ. δ. φ.

*** &c. Stellulæ paſſim adfixæ initium novi verſus indicant, uti in marmore editi fuerunt: quique ob anguſtiam typorum exprimi hic recte non potuerunt:

μου. και. απελευθεροι. εχοντες. και. αυτοι. δικαιον. ι. του. ταφηναι. εν. τῳ. μνηματι. χωρις. τον. επεισενεγκειν. τῃ. σορῳ. εν. ᾗ. εγω. καθευδησομαι. ἑτερον. νεκρον. η. ἑτεραν. επιθειναι. σορον. τῳ. μνημειῳ. ει. δε. μη. εαν. επεισενεγκωσιν. παρ᾽. ἃ. βεβουλημαι. η. επιθωσιν. αποδωσουσιν. και αυτοι. εις. τον. φισκον. των. κυριων. αυτοκρατορων. δηναρια. πεντακις. χιλια. *beredes mei & liberti babentes & ipsi jus sepulturæ in monumento, excepto inferre arcæ*, (vel *excepta illatione in arca*) *in qua ego dormiam*, (vides sepulcrum a vivo structum) *aliud cadaver, aliamve imponere arcam monumento: sin minus si intulerint, contra quam ego volui, aut imposuerint, dabunt & ipsi in fiscum dominorum Imperatorum denarios quinquies mille*: sicque omnia erunt plana & intellectu facilia: Operæ pretium fore duxi, si Lectorum oculis bina hæc marmora subjicerem: si quis certiores emendationes protulerit, gratissimum mihi evenerit, verasque lapidibus lectiones ex animo gratulabor:] Idem:

Hæc de lapide *Jacutii*, quem, uti valde memorabilis est, nostroque instituto haud parum inservit, ita paullo copiosius explicitum dare voluimus:

VII. Exposito in genere variisque exemplis stabilito ipso CEPOTAPHIORVM ritu, singulæ HORTI partes examen accuratius requirunt: tum ut vera CEPOTAPHIORVM facies clarius elucescat: tum etiam ut eo facilius caussarum procedat investigatio, quibus impulsos olim homines fuisse, credibile est, ut

ι. δικαιον] *jus* indicat, quomodo ap. *Æschylum* in *Prometheo* vs. 286. & alibi haud raro: conf. *Wolf.* ad *Libanii Centur. Epp.* Ep. XIX. p. 45.

ut tanto ſtudio cadavera ſua in CEPOTAPHIIS condi deſideraverint: quæ certe vix aliunde, quam ex ipſa CEPOTAPHIORVM contemplatione, intelligi posſunt: —— ſequemur in hoc examine ordinem illarum partium, quem jam ſupra propoſuimus §. 1. hujus Capitis: hæ ſunt *arbores*, *flores*, *aqua*, *ſeptum*:

De *arboribus* & *floribus* moneo, partes has quidem eſſe *horti* vere ſic dicti & ſenſu laxo ſumti: ſigillatim tamen ſi conſiderare volueris, ſingulas *hortum* conſtituere, *hortique* etiam nomine venire: ac proin ſepulcra *arboribus*, *floribusve* ſolis cincta, ſuo etiam jure CEPOTAPHIA dici poſſe: unde etiam factum eſt, ut ejusmodi ſepulcris primum alterumque CEPOTAPHIORVM genus tribuerim: ſingulaque ſupra particulatim tractaverim Cap. IIII. & V. neque adeo de *arboribus floribusque* ſepulcris additis diſputare hic attinet:

Pergo ad *aquam*, quæ uti haud minima *horti* villæque amœnæ pars eſt, ita non raro etiam tumulis ſigillatim fuit addita: exempla rei multa congerere hic ſuperſedebo: ſufficiet Memnonis indicaſſe ſepulturam, qui depoſitus fuit

Παρ' ποταμοῖο ῥέεθρα βαθυῤῥόου Ἀσωποῖο

ad profluentem amnis Aſopi [1] teſte *Quinto Smyrnæo* Lib. II. *Iliadis poſt Homerum* vs. 588. huc reſpicit etiam *Virgilius Ecl.* V. v. 40. ubi *Daphnidis* paſtoris Epicedium canit:

Spargite humum foliis, inducite FONTIBVS umbras
Paſtores: mandat fieri ſibi talia Daphnis:
Et tumulum facite:

ubi

1. Aſopus Bœotiæ fluvius: v. *Ritterſ.* ad *Oppian.* 1. *Cyneg.* 25.

ubi v. *Servium*: alia dabit *La Cerda* ad VI. *Æn.* 873. ne quid de marmoribus dicam, in quibus frequentissima aquæ, sepulcris additæ, occurrit mentio; sed hæc conducere longum foret: observo duntaxat ritum vetustum imitatum recentiori tempore fuisse sepulcrum *Mariæ de Montmorenci:* cujus Epitaphium elegantissimum est apud *Ortelium* in *Itinerario* p. 34. (ed. Antverp. 1584. 8vo. p. 168. ed. Lugd. Bat. 1667. 12mo.) QVISQVIS. HVC. ACCEDIS. SI. TE. ÆSTVS. SITISVE. VRGET. HIC. ÆSTVM. QVIETVS. VITATO. SITIM. PRONVS. EXTINGVITO. AQVAM. MANV. HAVRITO. OS. LAVATO. AT. PEDE. NE. TVRBATO. NVDO. CORPORE. NE. POLLVITO. QVIESCENTIBVS. ENIM. CARISSIMÆ. VXORIS. MANIBVS. TRANQVILLAM. VNDAM. SACRAVIT. MARIÆ. DE. NOMINE. MARIÆ. FONTEM. NVNCVPAVIT. ÆTERNI. SVI. AMORIS. TESTES. LATENTES. VASTA. SVB. RVPE. LVMPHAS. ERVI. VIVO. LAPIDE. CINGI. ÆTERNASQVE. FLVERE IVSSIT. caussa autem curtoties aquam & rivulos sepulcris adderent, non hinc solum repeti debet, quod præcipuam sepulcro hortoque contiguo amœnitatem conciliarent: sed potissimum derivandam illam esse opinor ab inveterata gentilium opinione, qua aquam defunctorum manibus gratissimam esse credebant: hinc tot libationes, ad sepulcra stato tempore peragi solitæ: quæ Latinis *arferiæ* & *arferialia* dicuntur: v. *Festum* v. & *Glossas Latino-Græcas:* Græcis χθόνια λουτρὰ audiunt: v. *Suidam* v. p. 673. Tom. III. conf. omnino *Kirchm.* IIII. 2. præcipue ψυχρὸν ὕδωρ desiderabant: *frigidam aquam:* v. lapidem apud *Montfaucon. Palæograph. Græc.* Lib. II. Cap. VII. p. 173. *Fabrett.* Cap. X. *Inscr. Domest.* n. 506. p. 741. res videtur fere ex sacris fuisse derivata: ubi clarissimum exemplum est divitis illius *Lucæ* XVI. qui

gut-

guttulam aquæ frigidæ petebat, qua linguam, infernis cruciatam doloribus, irrigaret: prorſus ſimiliter in marmoribus, in quibus vota occurrunt, ad *Oſiridem*, quem precantur, ut defuncto *frigidam aquam* porrigat: tanquam ap. *Fabrettum* Cap. VI. n. XIX. p. 465. & l. s. l. *Reineſ.* cl. XIV. n. 31, qui tamen male per hunc *Oſiridem* ſervum intelligit, ſepulcro peragendis libationibus adpoſitum: imo intelligitur *Oſiris*, Rex inferni, idem ac *Pluto:* clare docet id lapis *Maffeji Muſ. Veron.* p. CCCXVIII. 3. & ap. *Bonadam* cl. VIII. n. 8. p. 228. T. II.

ΨΥΧΡΟΝ ῞ΥΔΩΡ ΔΟΙΗ ϹΟΙ
ΑΝΑΞ ΕΝΕΡΩΝ ΑΙΔΩΝΕΥϹ
Ω ΜΕΛΑΝ ῞ΗΒΗΣ ΓΑΡ ϹΟΙ
ΑΠΩΛΕΤΟ ΦΙΛΤΑΤΟΝ ΑΝΘΟϹ

& præterea credebatur *Oſiris* aquæ præëſſe, idemque eſſe, qui *Oceanus* dicebatur: ac proin recte *aqua* ab eo *frigida* petebatur: teſtis eſt *Plutarchus* in eleganti libello *de Iſide & Oſiride* p. 364. Tom. II. Opp. conf. *Jablonski* in *Pantheo Ægypt.* Lib. II. Cap. I. §. 4. p. 126. ſqq. Tom. I. plura de omni hac re diſputat *Huldtmannus Miſcell. Epigr.* §. XLIIII. p. 470. junge *Martin la Religion des Gaulois* Lib. V. cap. VIII. p. 290. Tom. II. de *Oſiride* obiter adde librum, quem ejusdem eſſe *Martini* ſuſpicor: inſcribitur: *Explication de divers monumens ſinguliers* Diſſ. VIII *ſur la Religion des Egyptiens* §. IX. p. 176. (Pariſ. 1739. 4to.)

VIII. *Aquam* ſepulcris additam, ſequitur *maceria*, ſive *ſeptum*; quibus horti incingebantur & ab agris contiguis ſecernebantur: hæc inter partes *horti* retuli, proprie enim *horto* adduntur, atque

ad

ad eum pertinent: licet ἰδιως non quidem pars ejus esse dici possint:

α. Græci *septa* hæc variis adpellant nominibus, ac primo quidem id περιβολον vocant:

1. Convenit vox περιβολον Latinorum *septo*, ut quæ communis est, omnibusque in genere sepimentis potest adplicari: Indicat autem vel *textum* aliquod *septum*, vel *ex lapide fabricatum*: —— prius ex *Polluce* liquet, qui σκηνη περιερκτον περιβολον καννασιν ex *Pherecrate* memorat Lib. X. Cap. XLVII. p. 1374. T. II. ed. nov. —— alterum liquet ex *Glossis Græco-Lat.* ubi περιβολος explicatur *murus*: p. 147. ed. Paris. hinc περιβολοι notant *mœnia* in iisdem *Glossis* & ap. *Hesychium* v. περιβολοι] τειχη πολεων, η περιδρομοι· hinc & *templorum porticus* περιβολα dicuntur: de qua re supra disputavimus Cap. V. §. 1. p. 68. 69. Sic ἱερον περιβολον apud *Synesium*: conf. *Budæum Comment. Ling. Græcæ* p. 646. & *Du Cangium Gloss. Med. Græcit.* v. p. 1151. —— singularis vero est hujus vocis notio, *quam* habet *Suidas* v. p. 83. T. III. ed. noviss. περιβολος, ὁ της νηος· —— recentiori tempore περιβολος, περιβολον, & περιβολιον usurpari cœperunt de ipso *horto*, *locoque consepto*: uti ex variis Græculorum medii ævi libris liquet: utar solo *Achmete*, qui *Oneirocrit.* Cap. CLI. p. 122. ed. *Rigaltii*: εαν, inquit, ιδη ὁ βασιλευς ὁτι διεταξατο εκριζωσαι δενδρα των ΠΕΡΙΒΟΛΩΝ αυτȣ· quæ de ipso *horto* sunt accipienda: *septum* enim περιβολαιον ille appellare solet, uti ex eodem Capite liquet: sic paullo superius: εαν ιδη τις, ὁτι εισηλθεν εν ΠΕΡΙΒΟΛΑΙΩι ΚΗΠΟΥ, και ελαβεν εκ των καρπων· plura *Du Cangius Glossar. Med. Græcit.* p. 1150.

2. Occurrit θριγγος, seu θριγκος· *Glossæ Græco-Lat.* θριγγος· *maceries*, *maceria*· sic φυτα ακαρπα, κα-

καθαπερ ΘΡΙΓΓΟΣ χειροποιητος, *hortum* Lamonis cingebant apud *Longum* Lib. IV. *Paſtoral.* p. 104. ſq. unde colligere licet etiam ex fruticibus ejusmodi θριγγον textum fuiſſe: ſæpius tamen de *muro*, ex *lapide* ſtructo, accipitur: quod clariſſime ex *Pauſania* conſtat, qui *Ophelta* tumulum deſcribens, περι δε αυτον, inquit, θριγγος λιθων, και εντος τȣ περιβολȣ βωμοι· Lib. II. p. m. III. integrum locum dedimus ſupra Cap. IIII. §. IIII. p. 60. 61. —— nec minus late patet hæc vox quam το περιβολον· —— inprimis de *faſtigio* & ſummitate muri adhibetur: *Heſychius* v. θριγγος] ἡ ϛεφανη τȣ τειχȣς, η περιφραγμα, ὡς περιβολος, ηγȣν το ανωτατον τȣ τειχȣς· οικοδομη, εφ' ᾗ και ἡ ϛεγη κειται, και ὁ ὑπο τον κλινοποδα τȣ τειχȣς τοπος· η περιχαρακωμα και θριγχος· convenit his fere *Suidas* v. p. 206. ſq. T. II. θριγκος·] το περιφραγμα τȣ οικȣ· ϛεφανη, μικρον τειχιον, περιβολος· η των οικιων τα ανωτατω· μεταφορικως αφ' ἡμων, διοτι τα ανωτατω σωματα ἡμων θριξι περιπεφρακται· κ. τ. λ. v. *Rigaltium* not. ad *Artemidorum* II. *Oneirocrit.* X. p. 94. —— a θριγκος deſcendit θριγκοω: το ῥημα· apud *Pollucem* Lib. VII. Cap. XXVII. p. 774. junge de ipſa voce θριγκος *Schol.* ad *Homeri Odyſſ.* H. p. 78. & P. p. 202. ed. Baſil. & *Budæi Lexicon Græco-Lat.* v. θριγκος.

3. εἱρκτη. *Gloſſæ Lat. Græcæ: Septum*, εἱρκτη, & paullo ante: *ſepta*, δρυφακτα, ἑρκη· εἱρκτη *cuſtodia* eſt apud *Pollucem* Lib. VIII. p. 898. & Lib. IX. p. 1007. & *Heſychius*: εἱρκτη· φυλακη, ασφαλεια· etiam *Suidas* p. 30. T. II. —— ἑρκη ſeu ἑρκος proprie eſt *ſeptum*: ἑρκος· περιφραγμα, τειχιον· *Schol.* ad *Homeri Odyſſ.* H. p. m. 78. hinc tranſlate ἑρκος οδοντων apud *Homerum* Il. Δ. & *Oppian.* III. *Cyneg.* 414. ubi v. *Rittershuſ.* p. 120.

4. Δρυφακτα ſunt *tabulata*, *ſepes ex palis factæ*: *Gloſſæ*

Glossæ Græco Lat. δρυφακτα· *septa: roboraria*: *Hesychius* habet δρυφακτοι, exponitque: αἱ τȣ δικαςηριȣ θυραι, η καγκελοι, η τα διαφραγματα, η τα περιτειχισματα: apud *Artemidorum* scribitur δρυφρακτοι Lib. II. *Oneirocrit.* x. p. 94. sed δρυφακτοι legi debere patet ex *Suida* v. τεραμνα p. 449. T. III. ubi ejus verba exscripsit: pariter apud *Xenophontem* II. Ἑλληνικων, pro δρυφρακτοις, *Leunclavius* reposuit δρυφακτοις, monente *Jungermanno* ad *Pollucem* VIII. 5. p. 860.

5. Denique αἱμασια de *septo* occurrit apud *Longum* Lib. II. p. 33. & αἱμασια λεπτη Lib. IIII. p. 105. sed de illa copiose disputare non attinet, post absolutissimam elegantissimi *Menagii* diligentiam: vide ejus *Amœnitatis Juris* Cap. XXXIII. p. m. 240—249.

6. Addi his posset Φραγμος, quo nomine etiam *septa* veniunt: hinc μεσοτοιχον τȣ Φραγμȣ symbolice memorat *D. Paullus* ad *Ephes.* II. 14. inimicitias in Deum intelligens, quæ quasi intermedium quoddam septum erant, longo gentes intervallo a Deo vero & unico secernens: v. *Theophylacti Comment. ad h. l.* p. m. 518. ed. Lond. *Lindselli:*

β. Latini hæc *septa macerias* vocant: *Isidorus*: *MACERIÆ sunt parietes longi, quibus vineæ aliquæ* (forsan *agrique*) *clauduntur. Longum enim Græci* μακρον *dicunt*: XV. *Orig.* IX. p. 1201. 14. ed. *Gothofredi*: ——— *hortis* adjici has *macerias* consuevisse supra jam vidimus: *maceria illa, quæ in horto est*, apud *Plautum* in *Truculento* II. II. 48. adde *Liv.* XXIII. 9. & *Terent. Adelph.* V. VII. 10. *villarum maceriæ & parietinæ* in fragmento *Sisennæ*, historici vetusti, ap. *Nonium Marcellum* p. 141. ed. Paris. ——— *Sepulcris* autem circumstructas fuisse patet ex l. 73. §. I. ff. *de Contrah. emt.* ubi *maceria*

se-

sepulcrorum memoratur: —— ceterum scribendum est *maceria* per simplicem E: auctore *Beda* de *Orthographia* p. 2339. *Grammat. Putschii*: —— dicitur & *maceries*: v. *Perotti Cornucop. L. L.* p. 134. sq. quanquam *maceries* etiam sit *maceratio* & *macies* teste *Nonio Marcello*, cujus locus auctior habetur inter *Auctores L. L. Gothofredi* p. m. 562. quam in ed. Paris. (1614. 8vo.) p. 138. junge eundem *Perottum* p. 139. 30. —— videtur etiam hæc vox locum habere inter *Glossas Isidori*, ubi hæc habentur: *macerefellio: locus circumveniendi:* quæ mire sunt depravata, unde etiam medelam adhibere neglexit *V. D.* in novissima *Glossarum* editione, a *Jo. Clerico* T. II. *Lexici Martini* addita p. 36. forte scripsit: *maceria*, *macella* (vel *macellio*) &c. Græcis μακελα & μακελλα sunt φραγματα, δρυφακτοι teste *Hesychio* v. & μακελος, δρυφακτος apud eundem: conf. *J. G. Vossii Etymolog. L. L.* v. *maceria:* & *Martini Lexicon Philol.* ead. v. p. 246. Tom. I. —— a *maceria* descendit *maceriola* & *macereola* in lapide apud *Fabrettum* ad *Tabellam Iliadis* p. 378. & *Sponium Miscell. erud. Antiq.* Sect. IX. p. 293. sed satis de nomine:

γ. Videndum etiam est, ex quanam potissimum materia maceriæ hæ strui solerent: *Perottus*, *maceria*, inquit, *murus est*, *sive paries*, *constans ex lapidibus sine calce aut alio genere ferruginis* p. 134. *Cornu Cop.* conveniunt cum his *Glossatores* ad l. 73. §. 1. π. *de Contrab. emt. intra maceriam:*] *id est parietem sine cæmento*: hinc iidem ad l. 157. π. *de verb. signif.*. distinguunt inter *murum* & *maceriam*: *Murus*, inquiunt, *cum cæmento*, *maceria sine cæmento:* quæ distinctio si valeat, vereor ut recte dixerit *Perottus*, & ex eo *Taubm.* ad *Plauti* l. m. l. *maceria murus est*, cet. rectius *maceriam* per *parietem* in-

interpretatus est *Donatus* ad *Terent.* l. m. l. cujus locus hodie mutilus legitur: interim tamen distinctio illa constans non est: *Cato, maceriam ex calce, & cæmento, vel silice* ædificari, docet *de R R.* Cap. xv. & hujus forsan auctoritate nixus *Philippus à Turre, maceriam in re funebri murum fuisse cæmentitium*, ait, *concludentem spatium, sepulcro destinatum, quoquoversus:* in *Monum. vet. Antii* diss. iv. *de Diis Aquilejensibus* p. 307. sq. quantumvis sciam eruditissimum *Annib. Oliverium* in Notis ad *Marm. Pisaurensia* n. lxxxvi. p. 171. utrosque improbasse, dum *Catonis* locum spurium pronunciat, Adriensem vero Præsulem erroris arguit: ante *Turrium*, sic quoque scripserat *Philander* not. ad *Vitruv.* Lib. ii. Cap. viii. p. m. 43. (ed. Paris. 1545. 8vo.) *utuntur*, inquiens, *& sepiendis fundis vel hortis, maceriis, id est ex puris cæmentis, sine arenato, parietibus:* alia pro sua sententia laudatus *Oliverius*, vir præclarus, & de antiquitatibus patriæ suæ urbis, *Pisaurorum*, (*Pezaro*) egregie meritus, ex *Siculo Flacco* in medium adfert: ut qui *maceriarum* frequenter meminerit, eas & *ex congestione lapidum fieri*, adfirmans, & *manu instrui:* (v. pag. 12. *Auct. Rei Agrar.*) nusquam tamen illas ex *cæmento* aut *calce* ædificari dixerit: præterea *Cassiodorus, maceria*, ait, *est saxorum sicca constructio, quæ sine aliquo ligamine impense in altum ducta componitur: Comment. in Psalm.* lxi. ap. *Jo. de Vitam* not. ad *Inscr. Benevent.* class. ix. n. 206. p. lviii. —— cæterum *M. Varro* quatuor *maceriarum* genera statuit Lib. i. *de R R.* Cap. xiv. f. *Quartum*, ait, *fabrile sepimentum est novissimum: MACERIA: hujus fere species sunt quatuor:* (1.) *quod fit e lapide, ut in agro Tusculano:* (2.) *quod e lateribus coctilibus, ut in agro Gallico:* (3.) *quod e lateri-*

 bus

bus crudis, *ut in agro Sabino:* (4.) *quod ex terra*, *& lapillis*, *compositis in formis*, *ut in Hispania & agro Tarentino:* hæc de *maceriis:*

δ. In genere sepulcrorum *septa* erant ex *lapidibus* & *saxis:* talia *Phoci*, *Auges* & *Æpyti* monumenta apud *Pausaniam* Lib. II. p. m. 140. Lib VIII. p. 461. & p. 482. ed. *Xylandri:* tale *Neronis* apud *Sueton*. Cap. 50. conf. *Raph. Fabretti Comment. ad Tabellam Iliadis* post *Syntagma de Columna Trajani* p. 376. ed. Rom. *Casaub.* ad *Suet. Ner.* XXXIII. *Kirchm.* III. 17. . *Pitiscus* ad *Suet. Ner.* 50. —— vel ex *ferro* hæc septa fiebant: exemplum est in Mausoleo Augusti ap. *Strabonem* Lib. v. p. 361. C. Tom. I. εν μεσῳ δε τῳ πεδιῳ ὁ της καυστρας αυτȣ περιβολος, και ȣ̓τος λιθȣ λευκȣ, κυκλῳ μεν περικειμενον εχων σιδηρȣν περιφραγμα, εντος δ' αιγειροις καταφυτον· —— sæpe arbores fruticesque sepimenti vicem præstabant: non male huc trahas sepulcrum Cyri apud *Arrianum*, quod sylva variarum arborum includebatur: και περι αυτον αλσος δενδρων παντοιων· unde *Strabo* πυργον, dicit, τῳ δασει των δενδρων εναποκεκρυμμενον· *turrim densa arborum corona absconditum munitumque.* Confer utriusque loco supra Cap. VI. §. IIII. pag. 152. 153. prorsus ut hortus Lamonis apud *Longum:* cinctus φυτοις ακαρποις, ὡσπερ θριγγῳ χειροποιητῳ.

ε. Caussæ, cur sepulcris septa ejusmodi adderentur, variæ possunt adferri: 1. audiamus *Fabrettum* ad *Tabellam Iliadis* l. c. *definitio autem murorum*, inquit, *erat ad situm religiosum*, *& (ut stulte vocabant) consecratum a reliquo profano circumstante dirimendum: id quod etiam Romanis commune fuit*, *ut ex pluribus apud Gruterum inscriptionibus - - - luculenter patet:* similiter *Oliverius* statuit ad *Marm. Pisaur.* l. sæpius c. *solebant veteres sepulcra circum-*

val-

vallare, ut accessum profanis hominibus exterisque prohiberent: —— addit his binas alias *Fritschius*, quæ quidem proprie ad *hortos* pertinent, commode tamen ad agros etiam sepulcris adsignatos possunt transferri, in dissert. *de jure hortorum* §. XIX. p. 746. *Opuscul. Varior.* (Norimb. 1680. Fol.) *utile*, inquiens, *est, hortos sepimentis munire, non tantum, ut ab incursu hominum pecudumque sint tutiores, verum etiam ut præcaveantur lites & rixæ, quas prædiorum vicinitas excitare solet:* prius adfert etiam *A. Ruimig Heilige Zinnebeelden* Tom. II. p. 1372. ubi v. Cel. *v. d. Honert:* —— præterea definiri omnino spatium debebat, intra quod alienum neminem licebat tumulari: hinc in lapide, quem dedit *Fabrettus* ad *Tabellam Iliadis* p. 377. F. G. HIC. MONVMENTVS. [t] CVM. OMNIBVS. SVIS. ADJACENTIBVS. EXTERVM. HEREDEM. NON. SEQVETVR. NEQVE. EXTRANEVM. CORPVS. IN. EODEM. MONVMENTO. NEQVE. INTRA. FINEM. MACERIÆ. EIVS. CORPVS. EXTERVM. INFERETVR. SI. QVIS. cet. —— Ceterum *Salmasius, ad tutelam*, ait, *& monimentum addebantur hæc septa:* in *Exercit. Plinianis in Solinum* Tom. II. p. 803.

VIIII. Expositis singulis CEPOTAPHII partibus, restant indagandæ rationes, quibus impulsos homines fuisse credibile est, ut cadavera sua, non ut alii in viis publicis, sed in hortis villisque suburbanis, amœnitatis & recreationis caussa structis, condi voluerint: fateor, arduum sæpe experitur, qui singulas rerum caussas scrutari & expiscari studeat: maxime si de remotioribus seculis & alienis hominum moribus res agatur, uti hic fit: nec

t. HIC. MONVMENTVS. pro *monumentum:* sic CEPOTAFIVM pro *Cepotaphium* vidimus in *Consp. Marm.* N. VIIII. p. 15.

nec proin mirum evenire debet, si quis varias variorum etiam hac in re hallucinationes deprehenderit: plures enim passim a viris doctis excogitatæ hujus rei rationes occurrunt nugacissimæ: aliæ primo obtutu vero videntur similiores, si tamen recte consideraveris, prorsus evanescunt, & a veritate alienissimæ reperiuntur: in hunc censum venit id, quod maxime urgent viri docti, videlicet structa olim in *hortis* sepulcra fuisse, ut mortis reputationem, in primis resurrectionem, sibi quotidie ob oculos ponerent: quam rationem si de Judæis & Christianis adfirmaveris, verosimilis aliquo modo videtur, sin de gentilibus urgeas, oppido est absurda: —— de Judæis loquitur *Hottingerus* in *Historia Patriarcharum* Exercit. III. *de Eccles. & Theol. Patriarch.* §. LX. p. 76. Tom. I. *Cæterum*, inquiens, *in agris & HORTIS Patriarchæ, quam in Basilicis laqueatis, aut Mausoleis marmoratis sepeliri maluerunt: Nempe virent & florent hodie agri & horti, cras decrescunt & moriuntur: Hæc imago fuit mortalitatis, & res humanas caducas & fluxas esse sibi figuraverant. simulque consolationem in morte capiebant futuræ aliquando resurrectionis mortuorum, & beatæ inmortalitatis, quando ver novum revolutum fuerit:* convenit sententia *Thomæ Fulleri* in *Pisgah-Sight of Palestin.* Lib. III. Cap. XII. pag. 346. *This was fashionable in that age, tho make their monuments in the gardens, so to retrench their wanton thougths, with meditations of mortality:* apud *Nicol.* III. *de Sep. Hebr.* XIV. 4. p. 194. eadem est opinio Cel. *Lampii* in *Joann.* T. III. p. 646. verba supra dedimus Cap. VI. §. III. pag. 149. qui quidem resurrectionem, exemplo florum adumbratam, potissimum urgent: solam mortalitatis recordationem adtulit Rev. *Bachiene H. Geographie* Vol. II. Tom. I. p. 250.

250. not. *nergens voegt ook, trouwens, een graf beeter, dan in eenen hof; waar elke bloem, die, na een tyd lang zoo schoon gebloeit te hebben, weer begint te verslenschen, een klaar zinnebeeld van de kortstondigheid des menschelyken leevens is:* —— Et sane si ad solos purioris doctrinæ adseclas, ut dixi, restringere hanc rationem velis, probabilis videtur, saltem haud male excogitata est: quantumvis equidem veram hanc esse & unicam caussam non crediderim: —— malim certe jucundam amœnitatem huc trahere, quæ sepulcris conciliabatur, undique umbrosa arborum corona rectis, simul aut virenti graminis prato ornatis, aut fragrantissimo florum περιβολῳ circumdatis: hæc certe ratio a priscis illis Judæorum moribus aliena non est, ut qui, non minus ac recentioris ævi homines, defunctos suos, in primis propinquos & cognatos, omni honorum cumulo adficiebant: adde ætatis, qua vivebant, rationem: Nonne omnis fere ornatus in hortis bene cultis? nonne divitiæ in agrorum pecudumque numero erant posita? nihil igitur mirum, si defunctos, quos hodie in *Mausoleis marmoratis, & Basilicis laqueatis* (cum *Hottingero* loquor) deponunt, illi in hortis pratisque conderent: hæc de Patriarchis: —— recentiori tempore apud Judæos occurrunt Reges: cur & hi in *hortis* sepulti? scilicet deferebatur ipsis honor sepulturæ intra urbem: at ubi, quæso, sepulcra struxissent? in plateis viisque publicis non poterant, ob immunditiem, quæ ex visu tactuque sepulcri aut cadaveris contrahi credebatur: multo minus in ipsis domibus, aut palatio Regis: restabant *horti:* in his igitur Regium struxerunt sepulcrum: 2. *Reg.* XXI. —— porro sepulcrum Josephi *Joann.* XIX. cur in *horto* id fuerit, quæri posset?

hujus rei rationem satis probabilem suggerit *Escuche* in sua *expositione S. S.* Docet enim, vicinos urbi Hierosolymitanæ agros adeo *hortis* undique fuisse obsitos, ut iis etiam impetus Imp. Titi fuerit prohibitus, quo minus ad urbis mœnia accedere cum exercitu posset: [1] Hinc facile potest conjici, nonnullis in mentem venisse, ut sepulcra, quæ extra urbem strui debebant, in hortis illis sibi erigerent: ne alia adhuc prædia, aut agros comparare in hunc usum cogerentur: præterea supra adduximus rationes quasdam, cur Christus in horto credatur sepultus fuisse: quæ si recte sese habeant, statui debet, Deum T. O. M. divina sua providentia jam antea mentem Josephi direxisse, ut sibi sepulcrum istud instrueret in villa suburbana, nescius tamen, primum in id humani generis sospitatorem intraturum: —— Christi Domini exemplum imitatos dein Christianos fuisse credibile est: —— has si quis caussas recte consideraverit, non dubito, quin in verosimillimis sit habiturus:

Nunc de gentilibus dicendum: mortalitatis reputationem, quam ad Judæos & Christianos solos retulerant *Hottingerus*, *Lampius*, cet. hic de exteris etiam & βεβηλοις urget *La Cerda Comment. ad Virg.* VI. *Æn.* 883. pag. 741. Tom. II. postquam enim varia florum sparsionis & coronationis ad sepulcra administratæ exempla, ex gentium monumentis depromta; cumulaverat, *hujus*, addit, *moris rationes cum multæ esse possint, illud præ aliis* pla-

1. Ὡς δε Τιτος εγγιον απο τυ σκοπυ τη πολει στρατοπεδευσασθαι προαιρυμενος . . . . . τη ὁλη δυναμει προσεταξεν εξομαλιζειν τα μεχρι τυ τειχυς διαστημα· καταβληθεντος δε παντος ἑρκυς και περιφραγματος, ὁσα ΚΗΠΩΝ προανεστησαντο και δενδρων οἱ οικητορες, ὑλης τε ἡμερυ της μεταξυ πασης εκκοπεισης, κ. τ. λ. *Josephus* VI. *B. J.* p. m. 911. A.

placet, *factum hoc ad indicandam mortalis vitæ fragilitatem:* hæc ille: mallem certe bonus Jesuita *multas* istas *alias rationes* adtulisset, quam unam hanc oppido nugacissimam: dixi supra, hanc caussam, si ad solos referatur purioris doctrinæ adseclas, tolerari posse, unicam tamen & veram non esse: sin ad exteros quoque & paganos transferatur, plane esse absurdam: nec forsan dixi nimis dure: fateor, prudentissimi ex paganis viri considerationem mortis adsiduam interdum commendarunt, populoque obtrudere conati sunt: testis est elegantissimum *Epicteti*, Philosophi sane egregii, monitum *Enchirid.* Cap. XXVIII. θανατοι τε, και φυγη, και παντα τα δεινα φαινομενα, προ οφθαλμων εϛω σοι καθ᾽ ἡμεραν· μαλιϛα δε παντων ὁ θανατος· και ȣδεν ȣδεποτε ταπεινον ενθυμηθησῃ, ȣτε ἀγαν επιθυμησεις τινος· conf. *S. Nili Opuscula Gr. Lat.* a *Jos. Maria Suaresio* edita (Romæ 1673. Fol.) testis quoque de simili Apollonii Tyanensis doctrina *Philostratus* Lib. VII. *de ejus vita* Cap. XXXI. p. 311. ed. Lips. adde *Zaleucum* in *Stobæi* Serm. XLVI. apud *Schlichterum* in *Decim. Sacr.* Obs. II. *de Domo æternitatis ad Eccl.* XII. 5. §. VII. p. 34. vel sic tamen credibile non est, illos hanc mortis reputationem tanti fecisse, ut ideo sepulcra sibi in *hortis* struerent, quod vellet *La Cerda:* putabimusne enim Caligulam in hortis Lamianis fuisse conditum, ut ejus sorores frequenter mortis recordarentur? aut Galbam in privatis hortis sepulturæ datum fuisse, ut eorum dein possessores fatum sibi oculos ponerent? aut denique Neronem in colle hortulorum depositum esse, ut nutrix ejus, & nescio quinam dein sepulcri ejus contemplatores, inevitabilis vitæ eventus sæpius reminiscerentur? hæc certe persuadere mihi non possum: —— melius huc iterum aœnitatem

hortorum cauſſaberis, quam tantopere deperire defunctorum manes credebant: qui, quoniam apud ſepulcra oberrare erant ſoliti [1], lubentiſſime illic amœnam quandam ſilvam, aliumque quemvis receſſum jucundiorem ſibi inveniebant: qua in re ſummum felicitatis culmen poſuiſſe gentiles docet imago Camporum, qui in Elyſiis erant, quique, quaſi Eutopia quædam, amœniſſimis hortis, ſylvis, roſetis [2], pratis, fluminibus ornati paſſim a Poëtis deſcribuntur: audiamus ſolum *Virgilium*:

Largior hic campos æther, & lumine veſtit
Purpureo, ſolemque ſuum ſua ſidera norunt.
Pars in gramineis exercent membra palæſtris,
Contendunt ludo, & fulva luctantur arena.
Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicunt:
Nec non Threicius longa cum veſte ſacerdos
Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocum:
Jamque eadem digitis & pectine pulſat eburneo.
- - - - - - -
Arma procul, curruſque virum mirantur inanes,
Stant terræ defixæ haſtæ - - - - - - -
- - - - - - -

Con-

1. v. *Elsneri Obſ. in N. T.* ad *Matth.* VIII. 28. Tom. I. p. 47. *Wolfii Cur. Philol.* Tom. I. p. 161. adde *Æneam Gazæum in Theophraſto* p. m. 65. ed. *Barthii*: conf. Cel. *Bonnet de Cauſſis Superſt. inter Chriſtianos* p. 32.
2. De roſis ſpeciatim v. *J. H. Seelen* Tom. III. *Meditatt. Exeget.* Diſſ. XI. ad *Michæ* IIII. 8. §. X. p. 357.

Conspicit ecce alios dextra lævaque per herbam
Vescentes, lætumque choro pæana canentes,
Inter odoratum lauri nemus: unde superne
Plurimus Eridani per sylvam volvitur amnis: sqq.

Æn. VI. 637. sqq. ubi plura congessit *La Cerda:* convenit etiam elegantissimum marmor Græcum metricum apud *Gruterum* DCCIII. *Gorium Inscr. Etrur.* Tom. II. p. 119. *Bonadam Anthol. Inscr.* class. VIII. n. XXVIII. p. 321. Tom. II.

ΟΤΚ. ΕΘΑΝΕϹ. ΠΡωΤΗ. ΜΕΤΕΒΗϹ
ΔΕϹ. ΑΜΕΙΝΟΝΑ. ΧωΡΟΝ
ΚΑΙ. ΝΑΙΕΙϹ. ΜΑΚΑΡωΝ. ΝΗϹΟΤϹ
ΘΑΛΙΗ. ΕΝΙ. ΠΟΛΛΗ
ΕΝΘΑ. ΚΑΤ'. ΗΛΤϹΙωΝ. ΠΕΔΙωΝ
ϹΚΙΡΤωϹΑ. ΓΕΓΗΘΑϹ
ΑΝΘΕϹΙΝ. ΕΝ. ΜΑΛΑΚΟΙϹΙ. ΚΑΚωΝ
ΕΚΤΟϹΘΕΝ. ΑΠΑΝΤωΝ
ΟΤ. ΧΕΙΜωΝ. ΛΤΠΕΙ. Ϲ'. ΟΤ. ΚΑΤΜΑ
ΟΤ. ΝΟΤϹΟϹ. ΕΝΟΧΛΕΙ
ΟΤ. ΠΙΝΗϹ. ΟΤ. ΔΙΨΟϹ. ΕΧΕΙϹ.
ΑΛΛΟΤΔΕ. ΠΟΘΕΙΝΟϹ
ΑΝΘΡωΠωΝ. ΕΤΙ. ϹΟΙ. ΒΙΟΤΟϹ
ΖωΕΙϹ. ΓΑΡ. ΑΠΕΜΠΤωϹ
ΑΤΓΑΙϹ. ΕΝ. ΚΑΘΑΡΑΙϹ. ΕΝ. ΟΛΤΜ
ΠΟΤ. ΠΛΗϹΙΟΝ. ΟΝΤωϹ
Π. ΑΙΛ. ΑΒΑϹΚΑΝΤΟϹ. ΑΙΛΙΑ
ΠΡωΤΗ. ΘΤΓΑΤΡΙ. ΕΖΗϹΕΝ. ΕΤΗ
Ζ. ΜΗΝΑϹ. ΙΑ. ΗΜΕΡΑϹ ΚΖ

Ex his certe videtur constare, summam felicitatem in amœna ejusmodi sede fuisse positam: ac proin equidem crediderim, paganos ideo sepulcra sua in hortis & sylvis struxisse, ut defunctorum manes jucundum & tranquillum ibidem recessum haberent, in quem se conferrent, ibique tuta sede & quiete fruerentur: indicatur id aliquo modo quoque a *Palladio*, qui structum a Janne & Jambre CEPOTAPHIVM fuisse narrat, ut post mortem deliciis in illo Paradiso frui possent: ταυτα δε παντα, ait, εποιησαν, ελπιζοντες μετα την εντευθεν εκεισε αφιξιν εν τουτω τω Παραδεισω τρυφαν. eandem caussam de cepotaphiis recentiorum Orientis incolarum eleganter dederunt auctores *Historiæ Hodiernæ* Tom. III. P. V. p. 569. verba ex versione Belgica (Amst. 1731. ed. 8vo.) adponere operæ pretium erit: *de Mahometers syn nergens, gelyk aangetekend is, buitensporiger in, dan in het vercieren van hunne graven. De groten bouwen ruime paleizen, en omtuinen gansche velden, daar sy ten dien einde fraaije tuinen van maken. Het zy zy zich inbeelden, dat de zielen, die eens verscheiden zyn, altyd ontrend de lighamen blyven, daar sy voorheen in gewoond hebben, en in fraaye wandelingen en pragtige gebouwen vermaak scheppen, of dat het alleen ter eere van den overledene geschied, is onzeker:* enz. ——— præterea aliæ adhuc caussæ hujus rei possunt dari, quæ tamen minoris momenti esse censeri possunt: ——— sepulcra enim cum in hortis struebantur, diligentius ab amicis poterant attendi & servari, quam si in agro quodam remoto aut viis publicis posita essent: ——— simul ademta quoque omnis fere violationis erat occasio, ubi perpetua cura & tutela monumentis istis poterat impendi: ——— porro ornatu majore sepulcra in hortis instruere poterant,

quam

quam quidem in viis publicis, ubi legibus ſæpe nimii ſumtus prohibebantur: v. *Kirchm.* III. 16. *Rivautellam* & *Ricolvium* præf. ad *Marm. Taurin.* Tom. I. pag. ſi numeraveris, XIX. atque hinc intelligitur, cur *Cicero* privatum aliquod prædium ſibi tam ſtudioſe quæſierit, in quo filiæ *Tulliolæ* monumentum, quam poterat, magnificentiſſimum, *Fani* nomine, exſtrueret: qua re plenæ ſunt ejus *Epiſtolæ ad Atticum*, inprimis quæ Libro XII. continentur: conf. omnino *Bonadam Anthol. Inſcr.* Tom. II. diſſ. VIII. *de choragii pompa* §. v. q. 286. ſqq. —— denique, qui ſupererant, defunctorum parentes, conjuges, liberi, conſanguineorum cadavera & memoriam ſic ſemper ſibi ob oculos habebant poſita, ac proin facilius eos, quos tam anxie dilexerant, ſibi quaſi præſentes referre & in mentem revocare poterant: qua re quantopere olim homines delectati fuerint, docet exemplum Æthiopum & Ægyptiorum, qui defunctos, ligneis vitreisve theculis incluſos, aut unguentis & aromatibus conditos, ſervabant, ſibique in conviviis & epulis adſidere faciebant: conf. quæ de hac re ſupra diximus Cap. III. §. II. p. 41. adde nunc *Chifletium* in *Criſi de linteis ſepulcr. Chriſti* Cap. II. p. 5. Tom. I. Opp. *Nicol.* II. *de Sep. Hebr.* VI. p. 57. ſqq. *Dan. Gerdes* diſſ. *de laribus & penatibus* dans *L'Hiſt. Crit. de la Republ. des Lettres* Tom. XV. p. 101. *Beauſobre Remarques Hiſt. & Crit. ſur le N. T.* q. 113. Tom. I. de Chriſtianis, qui in Ægypto degebant, eundem morem ſervantibus, lege *S. Athanaſium* (ſeu quisquis demum libelli auctor eſt) *in vita S. Antonii* Tom. II. Opp. p. m. 502. B. —— Græci igitur & Romani, cum non intra ædes, imo ne intra urbes quidem defunctos ſervare liceret, maluerunt eos in hortis villisque pri-

privatis, quam in viis publicis ſepulturæ tradere: —— atque hæ quidem cauſſæ ſunt, quas equidem in veroſimillimis habeo, cur pagani CEPOTAPHIA ſibi interdum ſtruere adſueverint: ſubnatæ mihi illæ ſunt, dum ſimplicitati ſtudere conarer, easque, quæ ſimpliciſſimæ erant, expiſcari, poſthabitis emblematicis & hieroglyphicis illis argutiolis, quæ huc ſolent trahi: & ſane ſi ſimplicitatem ſpectes, quæ in his rebus ſpectari omnino debet, non eſt, cur illas ſi non veras, vero tamen maxime ſimiles eſſe diffitearis:

X. Hæc de tertio CEPOTAPHIORVM genere, primum generatim conſiderato, dein ſingulis horti partibus, prout ex Monumentis vetuſtis, tam ſcriptis auctorum libris, ſacris, profanis, quam aliis germanæ antiquitatis reliquiis erui & illuſtrari potuerunt: Operæ pretium judicabam, morem illum ſepeliendorum in hortis cadaverum accuratius tractari: Sacro divini Soſpitatoris ſepulcro lux inde adfunditur haud tralatitia: maxime cum ipſe ritus malo exemplo a paucis, qui illud Cepotaphium illuſtrare adgreſſi ſunt, vix fuerit memoratus, ab omnibus oppido perfunctorie tractatum; etiam illis qui data opera funerum ritus inveſtigarunt; in quibus ſuo jure agmen *Kirchmannus* ducit, vir ſatis accuratus, dein *Gutherius* & *Nicolaus*, modo ne hic aliorum potius verbis quam ſuis loqui haud raro maluiſſet: Reſtat nunc ut huic diſſertationi colophonem imponam: Finio verbis *Artemidori* mei, quibus ille tertium fere *Oneirocritici* Librum concluſit: *γενοιτο μετα πολλης ευμενειας τους εντυγχανοντας επιθυμησαι το βιβλιον αναγνωναι, και μη, προ* (ſic lego non *προς*) *τȣ ακριβως καταμαθειν, εγκαλειν·*

TANTVM.

Er-

ERRATA, OMISSA, SUPPLENDA

Sic velim

Corrigat, reſtituat, locupletet

L. B.

p. 3. lin. 13. poſt: ed. nov.] *Mart. Brunnerum* not. ad *Palæphatum* περι απιϛων Cap. XIX. p. 127. ſqq.

—— lin. 18. poſt: ed. Brix.] & *Bayle Diction. Hiſt. & Critique* Tom. I. p. 142.

p. 5. lin. 3. poſt: explicuerunt:] interim notandus *Stobæi* locus eſt Lib. II. *Eclog. Ethic.* p. 159. ed. Antverp. Πλατων, ait, τα πολλα, ὧν τινες συγγραφουσι, τοις Αδωνιακοις κηποις εικαζειν, οἱ την αρχην εφ' ἡμερον εχοντες ῥαδιως μαραινονται· adde quæ de illis copioſe & ſuo more, ſatis eleganter, diſſeruit *L. Begerus* in *Contemplat. Dactylioth. Gorlæi* p. 20. ſqq. jungi poſſunt *P. Bayle Diction. Hiſt. & Crit.* Tom. I. p. 81. ſqq. *Potterus* II. *Archæol. Græcæ* XX. p. 385. Tom. I. ed. Venet.

p. 6. lin. 11. poſt: videre eſt:] confer, quæ occaſione vocis Λομνα docte de hac re, ut ſolet, diſputavit *Rittershuſ.* ad *Oppian.* I. *Cyneg.* 4.

p. 10. lin. penult. inſcripto] lege: inſcriptio.

p. 11. lin. 7. doctiſſimns] lege: doctiſſimus

p. 13. lin. 14. horro] lege: horto

—— lin. 16. SEPVICRVM] lege: SEPVLCRVM

—— lin. 20. poſiutus] lege: poſitus

p. 18. lin. 5. poſt: -mus:] præterea recentiore ætate ſæpe P & R confundebantur, præſertim a Græculis: v.. Cel. *Alberti Miſcell. Crit.* Cap. I. p. 257. adde lapidem, editum in *Voyage*

Li-

Literaire des deux Religieux Benedictins Tom. I. p. 62. ubi in fine hanc formulam R DE Et SN NAP. explico: PRIDIE. KALENDAS. IANVAR. P pro R posito:

p. 18. lin. 9. post: *Thes. Antiq. Rom.*] modo ne huc *Hieronymi* auctoritatem trahere quis voluerit, qui Tom. IIII. Opp. part. II. p. 266. ed. *Martianay*: *quoties*, ait, *nitor in verba prorumpere, & super tumulum ejus EPITAPHII bujus flores spargere, toties lacrymis implentur oculi:*

p. 22. lin. 10. post: Cap. 5.] præsertim cum τοπου & τυπου vocabulum haud raro in MSS. confundi soleat: compara *Cotelerii* not. ad Tom. I. *Monum. Eccles. Græcæ* p. 718. A.

p. 23. lin. 21. post: 144.] conf. *du Cangii Glossar. Med. & inf. Græcit.* p. 1784. ubi singularem etiam vocis ψυχαγωγια notionem adfert, qua significat *notam interlinearem*, & ψυχαγωγȣ, *plagiarium* indicantis: magis huc *Aristænetus* spectat, apud quem Lib. I. *Ep.* XIII. p. m. 90. ed. *Pavii*, ψυχαγωγειν *consolandi* notione occurrit: consolatione enim animus spe aliqua lactatur, & a tristitia quasi *abducitur:*

p. 25. lin. 14. post: 1455.] κενηρια & ψευδηρια sunt quasi κενα & ψευδα ἡρια: *vacua & falsa sepulcra*: ἡρια enim *sepulcra* sunt: unde Bysantii, vel extra Bysantium locus fuit, Ἡραιον dictus, ὁτι το παλαι εκει εθαπτοντο οἱ πολιται· docente *N. Alemanno* Not. Hist. ad *Procopii Hist. Arcan.* p. 80. ed. Lugd.

p. 26. lin. 3. post: 4to.] Cæterum cum κενοταφιοις non miscenda sunt ξενοταφια, *peregrinorum se-*

sepulcra: quale memoratur in *Typico Irenes Augustæ* Cap. LXX. Tom. IIII. *Monum. Eccles. Græcæ* p. 257. alia dabit *Du Cangius Glossar. med. & inf. Græcit.* p. 1014.

p. 26. lin. 26. post: Epp. p. 296.] *Aristænetum* Lib. I. *Ep.* XXII. p. 151. ed. *Pavii:*

—— lin. 28. post: *Observ.* p. 116.] & omnino Cel. *Alberti Obs. in N. T.* ad *Jacobi* IV. 12. p. 451. 452.

p. 31. lin. 13. post. p. 31.] eruditum auctorem *Diss. ad. Ps. CX. vs. 6.* p. 175. Tom. III. de *L'Hist. Crit. de la Rep. des Lettres:*

—— lin. 15. post: possent: v.] *Corn. Adami Exercit. Exerget.* p. 15.

p. 33. lin. 28. post: p. LIII. sq.] etiam *Trotzius de Memor. Propag.* Cap. VIII. p. 565. frequentissima in Christianorum exsecrationibus mentio exitus *Judæ* memoratur, quem violatori sepulcri sui imprecantur: v. Cel. *Alberti Observ. S. ad AA. I.* 18. p. 222. 223. addita haud raro *lepra Giesi* seu *Gebasi*, aliisque similibus malis: pariter uti in jure jurando Judæi solebant: qua de re agit ὁ πανυ WESSELINGIVS *Probab.* Cap. XXVII. p. 234. sqq.

p. 35. lin. 17. post: studium] lege ambitiosam *S. Andreæ Cretensis* gloriationem *Orat. in S. Georgium* p. 176. D. ed. Paris. *Combefisii:* ενθεν ἡ πλανη των ειδωλων εσβεσθη, και τα πληθη των μαρτυρων ανελαμψαν· ενθεν ουρανος τα επιγεια γεγονε, δικην αστερων τοις ἁγιοις κατακοσμουμενα· καὶ πανημεριος ἑορτη την οικουμενην κατεχει, τα τουτων τροπαια, και τα τουτων λειψανα τιμωσαν· τους τουτων αγωνας πανηγυριζουσαν· αγωνας δε λεγω· ους ὁ μεν κοινος εχθρος κακουργως ενεστησατο· την

προς

προς κυνησιν και το ακοινωνητων ονομα φιλονεικων δια μεσου των ειδωλων αυτος απενεγκασθαι·

p. 35. lin. 26. martyrum, illorum] lege: martyrum illorum.

p. 37. lin. 1. poſt: p. 30.] *Th. Ruinartum* prolegom. ad *S. Gregor. Turonenſem* Cap. 1. §. 52.

—— lin. 10. poſt: p. 748. ſq.] *DD. VV.* ad *Ælian.* XII. *Var. Hiſt.* XXI.

—— lin. 22. poſt: ed. *Rigalt.*] Spectat & huc hiſtoria S. Paulli, cum Oneſiphoro, ejusque uxore & liberis, item Thecla Virgine delitescentis *in monumento*, ἐν μνημειῳ: ut traditur in *Martyrio S. Theclæ* apud *Ern. Grabium* Tom. I. *Spicil. SS. PP. Sec.* 1. p. 105. ſq. conf. p. 123. ſq. cujus quidem narrationis veritas etſi probari non poſſit, argui tamen inde poteſt, habitationem in ſepulcro inter ἀδυνατα ponendam non eſſe: ſiquidem auctorem hujus ſcripti, ſi verum ille non tradiderit, tradere tamen voluiſſe, ſaltem Lectori perſuadere voluiſſe, vera eſſe quæ traderet, credibile eſt: nec proin ille rem narrationi inſeruiſſet, quæ, ipſa dum falſiſſima eſſet, reliqua etiam eodem ſcripto obvia malæ fidei ſuſpecta reddere potuiſſet:

—— lin. 26. poſt: §. 12.] *Wetſtenius* ad *N. T. Græcum* Tom. I. p. 354. A. qui & hoc *Lucani* adtulit VI. 510.

Illi namque nefas urbis ſubmittere tecto,
Aut laribus, ferale caput: deſertaque BVSTA
INCOLIT, & TVMVLOS expulſis OBTINET umbris:

licet jam ante exſcriptus etiam a *Dougtæo* fuiſſet *Anal. S.* Part. II. p. 28.

p. 39.

p. 39. lin. 12. post: p. 25. sq.] non male huc etiam trahas, si quid ego hac in re video; sepulcra seu μνημεια, in quibus Gadareni illi, de quibus supra p. 37. 38. diximus, habitationem habuerunt: Illa enim, εν τοις ΟΡΕΣΙ, και εν τοις ΜΝΗΜΑΣΙΝ apud *Marcum* v. 5. (sive: εν τοις μνημασι, καὶ εν τοις ορεσι, ut *Cod. Alex.* habet: v. *Marcschalli Observ. ad Euang. Gotbica* p. 427. ed. Dord.) per solemnem loquendi formulam, quam *Hendiadyn* apellant, quaque ἓν δια δυοιν exprimebant Græci, explicanda esse censuerim, quasi sit: εν μνημειοις, τοις ἐν ορεσιν· *in monumentis montanis, quæ in montibus erant:* v. de hac formula τον ἑλληνικωτατον *Alberti Observ. in N. T.* p. 15. 16.

—— lin. 14. post: 32.] atque hinc intelligitur quoque origo & caussa persuasionis istius, quæ apud Christianos medii & in deterius ruentis ævi invaluit, licet nugax illa & superstitiosa credulitate ridicula sit: illi enim magnum sanctitatis indicium habebant, si sepulcrum miraculo, ut putabant, sensim supra terram elevaretur: v. *Th. Ruinartum ad Gregor. Turonensem* Lib. *de Gloria Confessorum* Cap. LII. p. m. 936.

—— not. lin. 14. post: v. κρανιον] *Bayle Diction. Hist. & Crit.* Tom. I. p. 74. *v. Adam: Jurieu* dans *L'Histoire Critique des dogmes & des cultes de L'Eglise* Part. I. Cap. XIII. p. 94. sq. Sed omnes has narrationes, ut mera commenta, explosit *Buddeus Hist. Eccl. V. T.* Tom. I. p. 113.

—— lin. ult. post: p. 603. alium sepulturæ Adami locum, *Conouz* dictum, memorat *Herbelot Bibliotheque Orientale* p. 272. *Conouz.*] *Nom de la caverne, ou Adam & les premiers Patriarches furent enterréz. elle est située aupres le Paradis terrestre, sur la montagne des enfans de Dieu.*

p. 41. lin. 20. ad *Æn.* vs.] lege: *ad Æn.* IV. vs.
——— lin. 29. 30. auſim in tribuere] lege: auſim tribuere
p. 42. lin. 1. 2. præte-rea] lege: præter-ea
p. 43. lin. 28. *La Utilité*] lege: *de L'Utilité*
p. 44. lin. 32. poſt: *Wollii.*] junge *Wetſtenium* ad *N. T. Græcum* Tom. I. p. 709. B.
p. 49. lin. 4. ante: ſimiliter:] cui convenit illud in *Voyage Literaire des deux Benedictins* Tom. I. p. 301.

HOSPES QVID SIM
VIDES
QVID FVERIM NOSTI
FVTVRVS IPSE QVID
SIS COGITA

——— not. poſt: quæ habent] *Baronius* not. ad *Martyrolog. Romanum d.* 2. *Decemb.* p. 529.
p. 50. lin. 17. ante: conf.] in recentioribus Chriſtianorum titulis idem haud raro obſervatur: nunc adferam tantum lapides, quos in *Voyage Literaire des deux Benedictins* offendo: ſic Tom. I. p. 75.

Sic.
QVI˙ LEGIS. HAEC. RECOGITO. PRO. ME. BONA. FAC. MALA. VITA
ET. SEMPER. COGITA. QVOD. MORIERIS. ITA

& p. 208.

QVAM. SIT, HOMO. FRAGILIS. MORTALES. DISCITE. CVNCTI
QVAMQVE. BREVI. CVRSV. NATVRAE. DEBITA. SOLVENS
OCCVBVIT. &c.

p. 58.

p. 58. lin. 27. Tom. II.] lege: Tom. I.

p. 59. lin. 20. post: &c.] sic & Etruscorum cippis arborum icones insculptas videre est in *Museo Etrusco* Tom. I. Tab. CXCI. n. III. quas cypressos esse interpretatur eruditissimus editor, *Gorius*, Tom. II. p. 400.

p. 64. lin. 5. Tom. II.] lege: Tom. I.

p. 65. lin. 17. adhibiti] lege: adhibitæ

p. 66. not. lin. i. p. 30.] lege: p. 39. *sq.* adde *Ursini Analecta S.* Tom. II. p. 39. &

p. 74. lin. 15. post: 'Ροδη.] confer, sis, *J. H. Seelen* Tom. III. *Medit. Exeget.* diss. XI. §. X. p. 352. sqq.

—— lin. 17. ante: hinc] v. *J. H. Seelen* l. c. p. 346. sqq.

p. 76. lin. 10. post: ΝΑΡΚΙΣΣΟΣ] de *narcissis* speciatim *Scholiastes Sophoclis* docet ad *Oed. Colon.* vs. 714. p. m. 294. ed. *Steph.* quem suggessit mihi Cel. WESSELINGIUS: ἴσως, inquiens de *narcisso*, ὅτι παρα τοις μνημασιν ὅτι πλειστον εμφυεται —— de *violis* ex his *Persii Sat.* I.

Nunc non e TVMVLO fortunataque favilla
Nascentur VIOLÆ - - - - -

recte colligit *Casaubonus* in *Casaubonianis* p. 99. paganos, si quem laudibus prosequi vellent, *violas* ex ejus *tumulo enatas* finxisse: licet apud *Persium*, *violas* pro quocunque florum genere adhiberi velit *Anton. Nebrissensis.*

p. 77. lin. 9. ΑΝΤΙΠΤΡΟΝ.] lege: ΑΙΓΙΠΤΡΟΝ

—— lin. 13. qui more] lege: qui pro more

p. 86. lin. 19. post: aliique] conf. Cel. *v. d. Ho-*

nert not. ad *H. Ruitnig H. Zinnebeelden* Tom. I. p. 222. *J. H. Seelen* Tom. III. *Medit. Exeget.* diſſ. xi. ad *Michæ* iv. 8. §. x. p. 355. not.

p. 89. lin. 18. poſt: ed. Amſt.] & *Palairet Obſ. S. in N. T.* p. 12. "*de ſedentibus ad ſepulcra*," ait *Wolfius Cur. Phil.* ad *Matth.* xxvii. 61. Tom. I. p. 416, "lege *Picinelli Lumina Re-* " *flexa ad h. l.*" ſed hunc librum nanciſci non potui:

p. 90. lin. 1. ὡς περ] lege: ὥσπερ

——— lin. 14. ἡρπασθαι] lege: ἡρπασθη

——— lin. 15. f. το] lege: τȣ

p. 94. lin. 28. poſt: p. 273.] & ſane ſolebant ebrioſuli coronati incedere: v. *Dougtæi Analecta Sacra* Part. ii. *Excurſ.* vi. p. 174. 175.

p. 99. lin. 30. inquiens] lege: inquit is

p. 102. not. lin. 1. poſt: p. 343.] *Grotius Annot. in N. T.* T. I. p. 294. ed. Amſt. *Elsnerus Obſ. S. in N. T.* Tom. I. p. 77. 78.

——— not. lin. ult. poſt: Tom. III.] in genere πυλη, θυρα, &c. de quocunque *aditu* atque *introitu* ſumuntur, aut id in genere indicant, quod in aditu aut introitu, quodque in limine & ante oſtium poſitum eſt: ſic ȣρανιαι πυλαι de aditu Regni cœleſtis occurrunt in *Excerptis Catenæ MS. ad* 1. *Pet. III.* 7. apud *Wolfium* Tom. IIII. *Anecdot. Græcor.* p. 68. & θυραν *Matth.* xxviii. 2. de introitu ſepulcri accipiendam eſſe, urgent nonnulli: v. Cl. *Schacht* not. ad *Harm. Hiſt. Reſurrect.* p. 80.

p. 107. lin. 30. poſt: Tom. I.] *Dougtæum Anal. S.* Part. i. ad *Eſech.* xliii. 7. pag. 283. ſq.

p. 115. not. lin. 9. poſt: *fab.* v. 14.] & *Miſcell. Obſerv.* Vol. I. p. 199. ubi recte urgetur, *Domnam* hic nomen proprium eſſe: non tamen inde tollitur, id ipſum cognomen ex voce *Dominæ* originem traxiſſe.

——— not. lin. ult. poſt: vindicat:] in genere de adpellatione *Domini*, Principibus tributa, præter, quem laudavimus, *Schlichterum.* p. 147—154. agit auctor *Diſſ. in Pſalm. CX.* p. 57. ſqq. Tom. I. *de L'Hiſt. Crit. de la Rep. des Lettres*: adde *Ill. Spanhemium*

D iſſ.

Diss. VIII. *de Usu & præstantia Numism.* p. 759. sqq. ed. Amst. pariter Dii Deæque *Domini*, Græcis δεσποται & δεσποιναι dicebantur: qua de re copiose agunt *Nic. Bondt* ad *Ep. Jeremiæ Apocr.* p. 12. sq. Doctiss. *J. M. Gesnerus* in *Explicat. Marmoris Cassellani* Tom. II. *Comment. Societ. Regiæ Gotting.* p. 288. *Gorius* ad *Donii Inscr.* Class. 1. n. 1. p. 3.

p. 122. not. lin. 4. post: *Alberti:*] *Elsneri Obs. S. in N. T.* Tom. I. p. 400. *J. H. Seelen Diss. de via Caini ad Judæ V.* 11. p. 683. *Meditatt. Exeget.* Tom. II. & *J. C. Wolfii Cur. Philolog.* Tom. III. p. 361. Cel. *v. d. Honert* not. ad *A. Ruimig H. Zinnebeelden* Tom. II. p. 1093.

p. 126. not. lin. 7. post: pag. 45. 46.] adde omnino *Jo. Ph. Heinium Diss. Sacr.* Lib. II. Cap. XII. p. 299-332.

——— not. lin. ult. post: 69. 70.] *J. Rutgersium* I. *Var. Lection.* 1. p. 6. 7. *Th. Reinesium* II. *Var. Lection.* 2. *Zornium* Tom. I. *Biblioth. Antiq.* Part. 1. p. 92. 93. not.

p. 127. not. lin. ult. post: not. 1.] *Ch. Patin Relations des Voyages* p. 221,

p. 132, not. lin. 12. præstit] lege: præstitit

p. 140. lin. penult. disputet *G. te Water*] lege: disputet *J. G. te Water*

p. 143. lin. 14. necesse est tumque] lege: necesse est: tumque

p. 148. not. lin. 9. couvicli] lege: convicii

——— lin. ult. post: inmorer:] melius huc *Helladium* adferam in *Excerptis Photii Biblioth.* Cod. CCLXIX. και τον τα χρυσα μηλα των Ἑσπεριδων φοςωντα (seu potius φερεοντα, ut opportune emendat *Spanhem.* Diss. IIII. *de U. & P. N.* p. 295. sq. ed. Amst.) οφιν ΚΗΠΟΥΡΟΝ ονωμαστι.

p. 163. lin. 13. post: p. 115.] adde nunc *Schraderum Animadv. ad Musæum* Cap. 1. p. 125. 126.

p. 168. lin. 6. εις. (vel ες pro εν) lege: εν (vel ες pro εις)

p. 191. lin. 14. *Exerget.*] lege: *Exeget.*

Demum typis jam exscripta integra Diatriba, Incidi in *T. Pfanneri Observationes Ecclesiasticas*

Jenæ 1694. 12mo. editas) earumque *Observationem* IIII. quæ est *de Coronis Christianis prohibitis* p. 279–363. quem multis in rebus pulcre mecum conspirare vidi: sic §. IX. p. 297. sqq. Christianorum odium in coronas, earumque usum in sepulcris exsequitur: *Justini* etiam locum adferens, de quo dixi Cap. V. §. VIIII. p. 88. sq. —— §. X. Exempla coronatorum a gentilibus sepulcrorum adfert: p. 301. sqq. admixta etiam φυλλοβολίᾳ & *florum sparsione*: compara *Diatr.* Cap. V. §. III. —VIIII. ibidem p. 303. rejicit etiam exemplum *M. Curtii*, quod copiosius exsecuti nos sumus §. VII. p. 79. —— §. XI. de coronis floribusque differit, quibus vivi spargebantur, ad honoris indicium: vide hic Cap. V. §. XV. p. 123. 124. —— §. XIV. p. 313. sqq. coronatos ebrios fuisse docet: quod obiter attigi Cap. V. §. X. p. 94. & in *Addendis* ad h. l. p. 196. Hæc ignorare TE nolui, L. B., ne quis forsan inscium me & innocentem plagii insimularet, a quo crimine totus abhorreo: si maturius libellum parvæ molis nec satis obvium nactus fuissem, lubentissime singula suo auctori restituissem: sed quis omnia evolvit? quis singulas variorum curas in numerato habet? &, si uspiam, in his præcipue sacris dies diem docet: Interim meæ me nondum diligentiæ plane pœnitet, si quidem multa *Pfannerus* parum digeste contulerit, parum diligenter exsecutus sit, parum accurate enarraverit: uti ex diligenti ejus comparatione Lectori liquebit:



IN-

INDEX I. AVCTORVM

Qui heic laudantur:

Numerus paginas indicat: *Add.* ad *Errata*, *Omissa*, & *Supplenda* remittit:

Chry-

Guthe-


A V C T O R V M.

Kuni

Pha-

Schmi-


Va-



INDEX II. VOCVM GRÆCARVM,

Quæ heic explicantur & illuſtrantur:

Πα



INDEX III. RERUM,

Quæ heic traduntur:

Ca-

Pos



Erratis, *Omissis* &c. hæc velim addat Lector:

p. 34. lin. 3. post: sqq.] & *Schulting*. V. C. ad *Jurisprud. Antejustin*. p. m. 636. ed. Lugd. Bat.
p. 120. lin. penult. insculptos] lege: insculptas
p. 131. not. 3. lin. 3. post: p. 303.] *Forner*. III. *Rer. Quotid*. XVIII. p. 214. T. II. *Thes. Juris*.
p. 196. lin. 1. *H. Ruimig*] lege: *A. Ruimig*
Ind. Auct. p. 3. col. 2. Elmenhortius.] lege: Elmenhorstius.
Præfat. p. v. lin. 8. post: p. 267.] *Valckenaer*. ad *Europ. Phœniss*. p. 731.
———————— 15. quod] lege: quem

